8
4-B
38

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
32 I
59

61
F

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

81
F
71

8-4.B.38

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII

Bibliothecæ Sacr. Coll. Rom.

LEGATIO RHÆTICA

Soc. Jesu



ex legato ... Cocini

PARISIIS,
Ex officina PETRI CHEVALIER
via Iacobea, ſub ſigno Diui Petri.

M DC XX

Cum Priuilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LVDOVICVM DECIMVM TERTIVM FRANCORVM NAVARRÆQVE REGEM CHRISTIANISSIMVM

CAROLI PASCHALII

IN LEGATIONEM RHÆTICAM

PRÆFATIO.

DOMINE

More militiæ nemo iuſſa ducis peregiſſe dicitur, qui non ei retulerit, factũ eſſe quod imperauit. Nemo item publicum munus impleſſe cenſetur, qui non, quo quidque loco ſit, ei renũtiarit, penes quem eſt omne regimen

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſummæ rei. Harum renuntiationum illa eò pertinet, vt is, cuius ductu bellum geritur, intelligat, teneatne in exercitu ſummam imperij. Altera id agitur, vt ei, cuius humeris Reſpub. ſedet, vbi omnia reſciuerit, conſilium ſub manu, vt aiunt, naſcatur. Non minimam vtriuſque miniſterij partem ſibi legatio vindicat, cuius ope externa, & longinqua non minùs explorantur, quàm domeſtica & proxima. Nimirum, vt excubitorem principis oculum nihil fugiat eorum quæ vſquam fiunt. Abſit vt quidpiam referendo in commendationem mei mihi ipſe plus æquo placeam, aut plaudam, potiſſimùm apud maieſtatem tuam. Verumtamen id dici quod res deſiderat, nulla, opinor, verecundia prohibet. Parens tuus rex, in cuius venerationem infinita poſteritas conſurget, ante annos quindecim me ſuis

rebus impoſuit apud Rhætos, gentem Galliæ regibus maioribus tuis antiquus fœdere ſociatam, qua tempeſtate ei vndique verſus horum fœderatorum ſtudia, & obſequia ſubtrahebantur, ipſumque fœdus improbis artibus reſcindi apparebat. Quam ad rem & illinc, & ex illis vicinitatibus multæ nouitates, velut ſigno dato, eruperunt, de earum genere, quas ab iis non aduerti, in quorum perniciem inſurgunt, propemodum eſt ad alienæ audaciæ arbitrium circumagi. Vt enim ex iis, quæ blandiendo nocent, oritur inconſulta quædam opinio ſecuritatis parum diligens in tutela ſui, ita è palam infeſtis progignitur cautus quidam, & ſalutaris metus imminentis periculi depulſor. Quiſquis hac peritia cenſetur, vnus, id quod ego vel primum puto, perſonata diſcernit ab ingenuis, inania à ſolidis, vnus ami-

coscertos diiudicat à dubiis. Ipſe quidem, quamdiu moratus ibi ſum, id ſedulò curaui, vt, nequid, cuius adnotator eſſe deberem, ſubtraheret ſe notitiæ meæ. Idipſum ne memorato parenti tuo, dein tibi incognitũ eſſet, mearum crebritate literarum aſſequutus videor. Neque ſic tamen me mei officij numeros obiiſſe credidi, ſi non ea, que tunc diſperſè, & minutatim ſcripſiſſem, in corpus redacta offerrem maieſtati tuæ; præter illa quidem, quæ iamdiu arcanò apud ipſam depoſita nec tunc publicari fas fuit, nec nunc memorari neceſſe eſt. Tardè hoc debitum exſoluo, ſed, opinor, excuſatè, cùm citiùs non potuerim, diuturno, ſcilicet, morbo præpeditus; per cuius tamen laxamenta mihi denique & rem aggredi, & conſummare licuit. Poſtea cognoui, hoc, quod ſuſciperem, non ſolùm non omitti, ſed ne diutiùs qui-

lem differri oportere, nimirum, ad d omne refellendum, quod anno ſu-'eriori ab improbo, & furente quo-lam ſemiferorum grege per inſi-nem contumeliam buccinatum per mnes gentes fuit. Qua immanitate æc lues luculentiſſima, & celebra-iſſima illa regum, magni præſer-im parentis tui in Rhæticam gen-em beneficia obſcurari, & ſuum celus iniquiſsima bonorum in ſecta-ione obtegi poſſe ſperauit. Falſò. Nam Deus hoc veritati ſingulare ledit, vt ſolo interuentu ſuo calum-iæ caliginem diſpellat. Prodit ergo in onſpectum Chriſtianiſsimæ maie-tatis tuæ hæc mea cura, quæ eſt nuda arratio eorum, quæ intra curricu-um decennij, me præſente, in Rhætia cciderunt. Iniucunda, taliaque, vt ix aliud, quàm tædium legentis pa-ere poſſint, ſi non ſubiret cogitatio, Non id, quod cuique ſuaue eſt, ſed

implacida, & ſpinoſa eſſe illum ſtimulum, qui ingenium ad artes veteratorias acumine compungendas vehementer exſuſcitat. Eadem prope ratione ſollers, & aſsidua ſcrutatio nequaquam inter obuias amœnitates, ſed ipſa terræ viſcera idemtidem fodiendo aurum, & gẽmeam ſupellectilem reperit. Hoc vnum cõfirmo, hìc omnia pudenter, & religioſè ſcripta, eaque ſimplicitate, quæ eſt comes & amica fidei. Quo nomine à tua regia bonitate impetrari poſſe confido, vt ea in tutelam recepta ab hodierna malignitate, quæ ſe nudari, & produci indignatur, & frendet, protegat. Te, regum decus, quàm diutiſsimè ſaluum præſtet is, cuius beneficio, etſi pueritiam vix egreſſus, tantam rerum molem virili firmitate ſuſtines. Hæc ſcripſi in Cutiano meo ſeceſſu, exeunte anno Domini MDCXX.

Digitized by Google

CAROLI PASCHALII
Regis in ſacro conſiſtorio Conſiliarij

LEGATIO RHÆTICA.

QVos hodie vocant Griſones, ac trito verbo tria fœdera, nimirum tres populos, ſeu ciuitates fœderatas, ea eſt gens Alpina eorum montium incola, qui ab ortu ſolis Italiam, ab occaſu Galliam, à Septentrione Germaniam ſpectant, & quà in hanc vergunt, à Tyrolenſibus, quà in Italiam, à Tridentinis continua in meridiem ſerie ad Valeſios, Helueticam gentem, porriguntur. Toti huic tractui olim nomen Rhætia ſuperior. Et Rhætia quidem, quòd eſt pars eius Rhætiæ, quæ Ro-

Digitized by Google

manos annales peruolutanti ſæpe eſt obuia. Superior, quòd eſt ſitu prǽalto, ac ſe tota aëriis, & niualibus montium verticibus attollit. Montanos Rhætos, omnemq; illam Alpinam vicinitatem populatibus & rapto viuere aſſuetam Auguſtus Cæſar, ductu Tiberij, & Druſi rupibus deiectam perrupit ac perdomuit. Denique per conualles aſperrimis cacuminibus interiectas, perque ipſa Rhætica iuga Romanis exercitibus compendiarium iter in Germaniam patefecit, ac muniit. Cui rei præter priſca monumenta documento ſunt crebræ illæ turres, ac totidem ferè caſtella verſa in conualles, & ſecundum Rhætica itinera locis deruptis impoſitã, hodie quidem vetuſtate propemodum dilapſa. Apparet, ſtationes militis præſidiarij caſtellatim fuiſſe diſpoſitas, vt gentem obſequij inſuetam compeſcerent, & per loca priùs inuia, aut latrociniis infeſta ſecuritatem viatoribus præſtarent. At-

que adeò ne quid in illis tot anfracti-
bus inſidiarum ſtrui aduerſus militares
copias illà vadentes, aut alicubi ſubſi-
ſtentes poſſet, præter conualles cre-
brioribus præſidiis inſeſſas, pleraque
itinera in locis deuiis & in dorſis ſa-
xeis, & confragoſis aperta. Alia, amo-
tis obicibus, repurgata; multa ſqual-
lentia tranſuerſis tramitibus compla-
nata. Nihil in tota regione tam ſcopu-
loſum, & inacceſſum fuit, quod non
ſuo militi peruium, & ſuperabile vis
Romana fecerit. Ipſis ſarcinariis iu-
mentis, carris & plauſtris, bellicis ma-
chinis, aliiſque impedimentis omnia
meabilia reddidit. In culmine Alpis
Iuliæ eſt iter ſilice ſtratum, in quo im-
preſſa orbitæ veſtigia manent ſpecie
recentiſſima. Nec ſine ſtupore quiſ-
quam per Malogiam tranſierit, locum
Romano opere inſignem, quà ex hac
Alpe Iulia, & ex Engadina ſuperiori
pronum eſt in Prægalliam iter, vt per
Berlinam & Poſclauium in Valtelli-

nam. Nec verò ſub Auguſto ſolùm, ſed & ſequutis temporibus clari aliquot Romani duces Rhæticis iugis degreſſi crebrò ex Italia in Germaniam, inde in Italiam legiones tranſduxerunt, ſtante, & vigente, videlicet, imperio. Nam, verſo rerum ſtatu, cùm nec ſe Roma conſiliis regeret, nec prouincias armis tegeret, ac veriùs vnà cum virtute omnis priſtina eius felicitas propemodum deflueret, hic Alpium tranſitus, qui nihil molienti nulli prorſus vſui eſſet, ſenſim exoleuit. Et cùm tota regio vix vllo ſtato redditu cenſeretur, ſed ſola via, quæ non vtendo facta eſſet inuia, vt ſolum vacuæ poſſeſſionis, audenti relicta. Huic occaſioni, vt ſuæ, non defuit inops miles, qui ibi neceſſitudinibus, & propinquitatibus mixtus inueteraſſet. Cùm enim nullus in iis locis dux reliquus eſſet, qui ab ipſo ſacramenti fidem exigeret, credibile eſt, eum, tanquam religione ſolutum quam antea Romano principi,

eandem ſibi poſthæc operam dediſſe; certè vnde armis pelli non poſſet, has ſibi ſedes fato monſtrari crediddiſſe. Ad poſtremum, ibi conſediſſe vt in ſuo. Nec tamen omnes pari ſorte. Sed caſtellorum præfectos id ſibi è priſtina fortuna ſepoſuiſſe, vt è præfectis domini euaderent; circumiecta prædia ſibi vectigalia facerent; ea vt vacantia & colenda, & fruenda in milites diuiderent.

Romani Imperij nomine non tantùm in longinquis, ſed & in ipſis ſuburbanis prouinciis propemodum obliterato, in Gallicorum Regum ditionem, ſicuti pleraque Germaniæ, hæc quoque Rhætia conceſſit. Cuius ego rei hæc habeo documenta, quòd acta publica ibi nomen regis prætulere; Et quòd ab iiſdem regibus ibidem condita ſunt cœnobia, quæ hodieq́ue extant, Diſertinum & Fauerianum, illud in intimo Alpium receſſu, hoc ſiniſtrorſus ad ripam amnis Rheni, quà è

Rhætia in Heluetiam maiori agmine incipit euolui. Gallicam potentiam excepit magnitudo Imperatorum Germaniæ, qui & hiſce locis nouos dominos impoſuerunt, & qui ea loca priùs inſediſſent, hos eorumque poſteros per nomen Comitum, Baronum, Dominorum in fidem, & clientelam acceperunt. Horum progenie ex magna parte aut pulſa, aut variis caſibus extincta, omnis illa montana multitudo, inuidente, & aduerſante nemine, ad libertatem experrecta ſibi iura condere cœpit, tum magiſtratus creare, ac ſtatutis diebus, & ſtato loco cunctorum concilium indicere: denique & mutuo inter ſe, & ſociali fœdere conterminis Heluetiis obſtringi. Hanc ſocietatem cùm multę ciuitates coirent, è tot, tantarumque virium connexione ſenſim coaluit illa, quæ vno Heluetico nomine cenſetur bellicoſarum gentium compago præpotens. In his eſt hæc Rhætica, quam locorum aſperita-

Digitized by Google

tibus, vt natiuo munimento, tum ſocialibus auxiliis tutam magis metuendum eſt, ne mala diſcordiæ, & improborum ciuium cupiditates euertant, quàm vlla externa vis atterat, aut obruat. Sanè internorum, & externorum muniminum tantum habet, quantum ſatis eſt ei, qui non id agit, vt cuipiam imperet, ſed vt ne cui ſeruiat. In externis eſt fœdus, & fides amicitiæ, quam cum Franciſco Primo Galliæ Rege, dein cum ſucceſſoribus eius, vſque ad hodiernum Regem, fœderatos Heluetios imitata, ſanxit. In Rempub. his auſpiciis, & hac ratione conſtitutam inductæ ſunt eæ leges & inſtituta, quæ hodieque manent. Non eſt conſilium de vetuſtate gentis plura dicere. Quippe ea, quæ ſub Romani occaſum imperij vſque ad tempeſtatem huic noſtrę proximam illic acciderunt, conjectare veriùs quàm ſcire datur. Quin & ipſum inquirentem neſcio quæ via ducere ad verum poſſit. Ergo ab in-

compertiſ me abſtineo; cùm præſertim non ſcribam res Rhæticas, ſed ea tantùm quæ inciderunt in legationem meam, quæ multis nouitatibus inſignitior fuit, de earum genere, quæ quò rariùs accidunt, hoc fructuoſiùs aduertuntur. Harum cauſas & proceſſus à nonnullis eorum neſciri, aut diſſimulari video, qui res huius æui poſteritati narrandas ſuſcipiunt. Neſcio qua infelicitate fit, vt præcipua rerum plerunque mendaciter vulgentur. Hinc multæ peſtes. Nam quicquid cuilibet veteratori contra fidem comminiſci, ac diſſeminare libet, id, ſcilicet, vulgus tam citò credit, quàm ſtolidè. Nec mirum, ſi veritas hinc calliditate, hinc credulitate circumuenta, denique commaculata, & multifariam infracta eius opem expoſcit, qui ſe tam indignis acceptam modis reddere priſtino decori, & integritati poteſt. Quantum quidem ad Rhætos attinet, ne rem mihi à magno, & incomparabili rege

mandatam, certè integrè, impigreque curatam mendaciorum præſtigijs vltra in peius torqueri patiar, meas partes eſſe duco. Quis enim ſycophantiis animoſiùs obuiam eat, quàm is qui verborum improbitatem rerum fide reuincere potis eſt? Sanè cùm non alia exequenda ſuſceperim, quàm ea, quibus & interfui, & ex magna parte præfui, quantum eniti cura ac diligentia potero, perficiam vt intelligi poſſit, me veritatem nulli affectui meo gratificari. Ceterùm quod in tot rerum monumentis, quæ hodie ſunt in manibus, exigua, nec enim audeo dicere nulla, ſcopuloſæ huius Rhætiæ mentio fit, ſigni ſat eſt, hanc gentem, quæ neminem laceſſeret, & ipſam illaceſſitam per multas ætates nullam nec famæ, nec rerum ſcriptoribus materiam præbuiſſe. Nec tamen abnuerim, interdum ipſos inter ſe gentis regulos manus miſcuiſſe; aut multitudinem diſcordem ſæpe in ſeditionem exarſiſſe;

Digitized by Google

aut manum aliquam conglobatam aduerſus EpiſcopumCurienſem in acie quandoque conſtitiſſe. Nam talium nonnulla adhuc fama durat, quamlibet vaneſcens, & nullo, quod ſciam, idoneo autore. Quo magis mirum videri poteſt, aliquot ab hinc annis, hoſce populos inexpectatis rumoribus flagraſſe, ſæpeque vicinos turbarum frequentia perculiſſe; atque adeò procul ſitos etiam nunc cogere ſciſcitari, vnde ſint illi apud Rhætos repentini motus; quibuſque tempeſtatibus hæc regio de ſubito fiat tam procelloſa. Quippe talia agreſtis illius, ac tamen laſciuientis libertatis mala in operis contextu ipſa res aperiet. Atque hæc quidem ſi non iucunda lectu, at nec abſurda cognitu fatebitur quiſquis in rerum monumentis non tam ſcrutatur id, quo oblectari, quàm quo erudiri, & aduerſus ingruentia roborari poſſit. Ad rem venio.

Exitu anni milleſimi ſexcenteſimi

quarti lectu, miſſuque Henrici Quarti Regis Francorum & Nauarræ profectus ſum ad Rhætos, vt ibi ſuccederem viro ampliſſimo Merico de Vic, qui vtriuſque legationis munere fungebatur, Helueticæ, & Rhæticæ. Illò vt adueni, illico intellexi, quantum mihi negotij datum eſſet, quem turbidæ res exciperent. Firmaui tamen animum is, qui tanti regis auſpicijs rem gererem. Turbæ ex eo erant, quod mihi altiori initio repetendum video.

Iam inde ab anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono Alexander Aiardi, homo Italus, de fœdere inter Venetos & Rhætos paciſcendo cum paucis, qui ſe Rhætorum primores ferrent, ſeriò ac diutiùs egerat. Quæ res antea per quemdam Rhætum tentata, ſed non abſoluta, tunc quidem fuit ab iſtis non ſolùm probata, ſed auidè arrepta. Verùm magnę molis incœptum reformidant, propter id Gallici fœderis caput, quo tranſitus continetur.

Hoc ſi expugnetur, nihil præterea tam arduum vident, quod non confici apud communitates poſſit. Sic vocant conuentus eorum pagorum (nam Rhęti pagatim habitant) qui iiſdem iuribus, & eodem foro vtuntur. E' pluribus pagis ſingulæ communitates conſtant, è pluribus communitatibus ſingula fœdera, è tribus fœderibus tota gens. Proinde qui tria fœdera, aut communitates dicit, vniuerſam gentem ſignat. Qua ergo ratione communitates auerti poſſent à nouando eo Gallici fœderis capite, quo tranſitus Alpium continetur, omni ope ab iſtis quæri cœptum. Iam enim de fœdere, cui, & Henrico Tertio idem finis fuiſſet, cum Henrico Quarto ſucceſſore eius in Heluetia renouando agebatur. Comminiſcuntur, inde Gallicum fœdus in inuidiam apud vniuerſos vocari poſſe, quod ius tranſeundi per Alpes Rhæticas regi promiſſum non Rhætos tantùm, ſed finitimas Rhætiæ gentes

non parum ſollicitas habeat, quę de ea re ita loquantur, vt ſi Gallici exercitus iam Alpes tranſcenderint, & Inſubriæ aperta populentur. Quin & illud inſuſurrari poſſe aiunt, hanc legem fœderis, quæ tranſitum complectitur, ibi ab ijs inſertam fuiſſe, qui de ea re nunquam communitates conſuluerint. Ac proinde ea neminem teneri. Hæc ſi communitatibus ſubijciantur, poſſe eas adduci, vt Gallicum fœdus omnino non renouent, aut ei ſaltem caput illud tranſitus detrahant. Hæc dicentibus non pauci adſtrepebant, quos in Venetas partes non ſuo ingenio, ſed prauis artibus tunc traductos conſtitit, cùm de Gallico fœdere nouando in Rhætia agi cœptum. Regis enim miniſtri, qui nihil aliud peterent, niſi vt fœdus ijſdem legibus renouaretur, quibus antea ictum eſſet, omnia dura, & aſpera, præter ſolitum, præterque ſpem experti ſunt. Nec alij tunc regijs rationibus obſtinatiùs aduerſabantur, quàm

huius Veneti negotij curatores; etſi ipſis hoc incœptum tunc quidem fruſtra fuit. Nihilo enim minùs Rhæticæ communitates, Helueticos pagos imitatæ, cum Henrico Quarto fœdus inierunt conceptum in eaſdem leges, in quas
M.DC.II. antea cum regibus Chriſtianiſſimis pactum fuiſſet. Tunc iſti quod hac via non ſucceſſerat, alia aggrediuntur. Manente Gallico fœdere nulla ſui parte mutilato, aut mutato, reperiunt, quo pacto Venetum admitti poſſit. Fortè per eos dies Rhæticæ gentis conuentus is, qui inducendæ reformationi, quam vocant, conſtitutus eſſet, inſtabat. Ea erant quædam inſtituta, quæ melioribus mutari publicè expediret. Hanc occaſionem inſinuandi Veneti fœderis iſti opprimunt. Tuſium, ſiue Toſanam, quò id conſilium ad eam rem indictum eſſet, frequentes veniunt, eò ſuæ factionis popularibus vocatis, ijs præſertim, qui rei promouendæ idonei crederentur. Ibi eius fœderis men-

tio vſque eò increbuit, vt iam de eo liberiùs, & fortiùs agendi tempus maximum eſſe crederetur. Et verò tunc ibi perfectum eſt, vt à ſingulis magnis communitatibus Curiam mitterentur nuntij viceni quini, qui per cauſam & ſimulationem illius reformationis de re conſultarent. Scilicet, in illa frequentia ita voluntates explorari poſſe crediderunt, vt, quò is conſeſſus inclinaret, eò rem adduci poſſe ſpes eſſet. Tunc etiam animaduerſum eſt, in publicis itineribus quoſdam cum ſarcinis, & mercibus vltro citroque commeare, qui per ſpeciem mercatorum quicquid vbique diceretur, exciperent, & ea quæ hinc inde libaſſent, ſuis referrent. Horum ſpecimen fuit quidam Quinterius de Quinteriis Mediolano mercator, qui, quòd eſſet homicidij reus ſolum verterat. Iſte, dum in Rhætiæ ſalnitrum, quod Venetias veheret, mercabatur, aliò mentem, aliò diuidebat aures. Cùm è Rhætia diſceſſit,

quemdam Rhætum, qui poſtea fuit fax eius factionis, per aliam ſpeciem Bergomum perduxit, vbi cum illo magiſtratu de legibus, & conditionibus eius fœderis ſeriò agi cœptum. Ab hiſce tentamentis ventum eſt ad rei rudimenta; quibus, velut quibuſdam auſpiciis addicentibus, anno demum milleſimo ſexcenteſimo tertio Senatus Venetus miſit in Rhætiam, qui id fœdus rogaret. Is fuit Ioannes Baptiſta Padauinus, vnus è ſcribis Reipub. Venetæ, hodie ſecretarios vocant. Vbi is fuit Curiæ, repente eorum ſtudiis frequentari cœpit, qui Reipub. Venetæ capitaneatibus, quos vocant, præſidiorum præfecturis, muneribus inhiarent. Huic Quinterius Comes, & adiutor additus. Iam fœdus ſcripto mandatum erat in manibus. Parum aberat quin mitteretur ad Communitates, vt ibi ſanciretur. Qua re in Heluetiam perlata, Mericus regis legatus, qui tunc ageret Soloduri, menſe Iulio Curiam

M.DC.III

raptim

aptim profectus monuit iſtos, etiam tque etiam videant, ne rem præcipitanter actam ſera pœnitentia conſequatur. Sed nequicquam. Sanum conſilium ſurdæ aures, & animi auidi non admiſerunt. Quod reliquum eſſet, id modò ſibi temporis concedi poſtulat, quod expedito ſatis ſit ad excurrendum in Galliam, qui de hac tanta nouitate regem edoceat, eiuſque reſponſum referat. Ægrè ad eam rem pauculi dies impetrati. Eius enim fœderis molitores, qui mallent eam ſuſceptionem à rege improbari, quàm impediri, ſumma ope rem approperant, & perficiunt. Quæ res frequentes eorum querelas euocauit, qui publicæ fortunæ illachrymarent. Heu, inquibant, quo nos loco rex habiturus eſt, qua fama apud omnes gentes futuri ſumus, ſi quæ regi ſtudiis flagrantibus promiſimus, quæ iureiurando ſanximus, ea nunc ad alios transferre audemus? Siquidem noſtrarum Alpium clauſtra

hoc fœdere ſibi reſerari Veneta Reſpublica poſtulat. At nos id ipſum fecimus iuris regij, eorumque quos ab ſe in amicitiam receptos rex profitebitur. Hæ innoxię multitudinis voces etſi iſtis pectora perpauefaciebant, non tamen his cœptis deſiſtunt; ſed rei perficiendæ omnes vias tractant. Callidè reperiunt, quo pacto ex autoritate regis nihil tale ſuſpicantis ſibi deſtinata procedant. Non dubitant ſpargere in vulgus, id fœdus regi gratum, & acceptum fore, quò pluribus munimentis res Rhætica inſiſtat. Quin & ipſas inter communitates diſſeminare audent, introductione huius fœderis omnem Hiſpano ſpem adimi vllius cum Rhætis ineundæ ſocietatis. Id quoque audacter vulgant, Quorum in Venetam Rempubl. ſtudia extent, hos eoſdem Francici nominis cultores haberi. Regis, & Reipub. Venetæ rationes vſque eò connecti, vt, his qui conſulit, illis quoque conſul-

tum velit. In primis multa religionis mentio iniecta. Aſſerunt enim, Si Venetum fœdus fiat, haud eſſe dubium, quin euangelium (hoc Proteſtantes religioni ſuæ nominis indunt) quamprimùm Venetiis vigeat, & inde per omnem Italiam propagetur. Multitudini his artibus circumuentæ fœdus obtruditur ſcriptum in eas conditiones, quæ infra dicentur. Tauoſij menſe Auguſti omnia feſtinata, ac tranſacta. Ibidem legatio Venetias decreta, quæ nulla mora dedit ſe in viam. Huic ſeſe quàm plurimi aggregant, quos omnes diuerſæ ſpes eò trahebant. Ne tamen facerent, à quodam vicino amicè commonefacti fuerunt. Sed amentia, & auaritia præcipites nulla ratio retinere potis eſt. Enimuero Donnus Petrus Areuedus Comes Fuentanus Mediolanæ vrbis, regioniſque præfectus Rhætis, qui tam cupidè Venetum fœdus amplexi eſſent, impenſiùs iraſci. Edicit ne eæ merces, quas

Germania & Inſubria ſibi mutuò ſuppeditant, dein eo itinere, quo itur in Rhætiam, vehantur, haud dubia ſpe, fore vt Rhætica plebs hoc tanto damno irritata, hiſce enim vecturis plurimùm viuit, ſeditione facta, cæteros omnes ad hoc nouum fœdus reſcindendum vel inuitos adigeret. Non hoc contentus, atque adeò vindictæ properus ad lacum Larium loco editiori & ſylueſtri, cui nomen Montecchio, tantùm non in agro Rhætico extruendæ arci locum deligit, ac dimetitur. Iam ſylua cæditur. Iam omnia ædificationi neceſſaria eò comportantur. Id quod vbi in Rhætia pernotuit, enimuero communitates fremere, ac tantùm non arma capere. Certè ad operas non ſolùm prohibendas, ſed & contrucidandas impetu ferri. Sed is motus ſedatus à prudentioribus dico, an ab iis, quos Fuentanus ad obſequium ſui premiſſis, & muneribus perduxiſſet? Id mihi parum comper-

um. Poſtea quidem multitudo ſæpe queſta eſt, tunc ſibi eorum artibus illuſum fuiſſe, qui per corruptelam Fuentano fauere dicebantur. Ex his quæ ſequuta ſunt, arbitratu quiſque ſuo rem æſtimabit. Haud multò poſt à Rhætis ad Fuentanum mittitur quidam nomine Zambra rogatum, vt Rhætico ſenatui fide publica Mediolanum mittere legationem liceat. Id iſte ea lege impetrauit, vt de Alpium tranſitu omnia pactionibus tranſigantur. Dicito veſtris, huic ait Fuentanus, ſi quos huc miſerint, mihi fore gratos. Sed pacta lege, ſi mecum de tranſitu volunt adire ad pactionem. Si aliter ſunt animati, domi maneant. Hæc Rhætis per Zambram nuntiata primò prudentiores, mox vniuerſos perculerunt. Dum Curiæ quid facto opus eſſet, conſulitur, huc vertunt. Ex archio Curienſis Epiſcopatus promuntur neſcio quæ veteres membranæ, quæ dicerentur eſſe diplomata quorumdam

imperatorum, quorum pacta quædam cum Epiſcopis Curienſibus conuenta iis membranis contineri dicerentur. Iis pactionibus imperatores palàm faciunt, omnibus mercibus exin tranſitum fore per Alpes Rhæticas, quà iter eſt ad lacum Piuarium, hodie Valeſtatenſem, dummodo Epiſcopi pręſtent itinera tuta, & peruia. Hac vetuſtate, velut iure minimè dubio, quàmlibet non vſurpato, freti illi, qui iſta curabant, palàm dicunt, Non licere Hiſpano eos tranſitus occludere, nec Rhætos Mediolanenſi commercio prohibere; cùm Mediolanenſem ducatum conſtet eſſe feudum imperij. Hac fiducia, & Fuentani fide, vt dixi, interpoſita, Mediolanum legatio decernitur. Atque adeò Epiſcopus propemodum nolens implicatur hoc negotio. Certè ab iſtis fatigatus vnà cum Rhæticis legatis Mediolanum proficiſcentibus, mittit quemdam Lucium Beli, cui denique ea res propriis male-

factis cumulata capite ſtetit. Legatis Rhæticis præter literas & mandata, vetuſta quędam pacta traduntur, in quæ Blanca Maria Dux Mediolani, & quædam Rhæticæ communitates olim conueniſſe dicebantur. Qua de re is, cuius ore legatio apud Fuentanum edita, nomine Sonuigus ita diſſeruit, vt ea pacta nulla ratione conuelli poſſe dixerit. Ad ea Fuentanus, Saluete, inquit, Vos ducatus Mediolanenſis, vnde tantum capitis commodorum, memoriam ex animis veſtris eieciſtis. Diu adhæſiſtis regi Chriſtianiſſimo. Et ſimul cum dicto caput aperuit, & corpus inflexit. Id fœdus vos claros, potenteſque faciebat. At nunc vobis Veneta Reſpub. columen eſt. Ea res vos in modum torrentis præcipites dedit. Vos ſcitis quid de tranſitu ſtatueritis. Si eſt, vt de eo mecum conuenire in animo habeatis, mecum tractationem inſtituite. Ad ea legati, Extant, inquiunt, pacta cum Blanca Maria, quo-

rum autoritatem ęquum eſt eſſe ęternam, & inuiolabilem. His, & aliis vtrinque dictis, huc decurſum eſt, vt pauci è regis conſilio delecti cum legatis de hoc negotio diſceptarent. Et verò cùm die poſtero is conuentus in ædibus Georgij Menrichi Hiſpani haberetur, in eo Rhæti firmarunt, Non licere pręfecto Mediolanenſi, ab arce Muſſi vſque ad Rhętię conlimitia vllum ędificium ponere. Pactis enim conuentis anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi diſertim contineri, vt arx Muſſi diruatur. Multò ergo minùs in iiſdem veſtigiis, aut in vllo loco Rhętiæ propinquiori vllam arcem ſiſti poſſe. Tunc Mediolanenſes conſiliarij, Vos veſtris fœderibus hęc pacta reddidiſtis irrita. Iis enim diſertim expreſſum eſt, vt amicitia vtrinque tam ſanctè colatur, vt ſi Mediolanenſes & Rhęti non duę, ſed vna tantùm gens eſſe cenſeantur.. Hęc, inquam, tam vnita vos veſtris fœderibus deiunxi-

ſtis. Inde cùm de tranſitu agi cœptum eſſet, Rhęti dixerunt, pacta conuenta cum Blanca Maria omnibus fœderibus eſſe vetuſtiora, ac proinde fortiora. Res vtrinque magna contentione iactata. Sed cùm in ea diſceptatione neutra pars adhuc ſuperior videretur, ille conuentus redactus eſt ad pauciores, qui denique fuerunt ſex, vt numero legatorum ęquaretur numerus conſiliariorum. In hoc demum contractiori conuentu conſcripta ſunt capita fœderis, & omnis res propemodum tranſacta. Quicquid ibi pactum fuiſſet, legati polliciti ſunt intra ſesquimenſem à communitatibus firmatum, ac Mediolanum miſſum iri. Illo ipſo die Rhæti Fuentano valedixerunt. Tunc is verſus ad eos, Si ea, inquit, quæ facitis, ex animo facitis, prorſus maturato opus eſt, ne id veſtri fœderati reſciſcant. Nam ſi reſciuerint, rem infectam video. Hæc fuit ſumma, & exi-

tus illius Mediolanenſis tractationis. Nuntio Epiſcopi, eiuſque fratri, qui ei nuntio comes datus eſſet, vt vterque cum Fuentano de portorijs, & vectigalibus agerent, ſeorſim admiſſis benignè reſponſum; ac dona vtrique miſſa, ſingulis torquis aureus. Atque hi quidem omnes, quò exſoluerent promiſſa, vt in patriam remearunt, contenderunt vt ea quæ acta Mediolani eſſent, communitates quam primùm rata haberent, ſanè acriùs, quàm vt non empti pecunia viderentur. Sed prętexebant, ex eo nec pauca, nec par-
MDCIV. ua commoda ſperari, in primis arcis demolitionem, & belli, cuius metus impendeat, euitationem. Menſe de-
MDCIV. mum Ianuario anni milleſimi ſexcenteſimi quarti Curiæ habitum eſt pittagum. Sic vocant conuentum eorum nuntiorum, quibus ſingulæ communitates publica negotia mandant. Valet ſenatus, aut conſilium gentis. Ibi cognitum, omnes propemodum

communitates conſentire de confirmatione pactionum Mediolanenſium, dummodo hanc ratihabitionem arcis demolitio è veſtigio conſequatur. Ibidem decretum, vti de hoc negotio Heluetij priùs quàm quicquam vltra ſtatuatur, certiores fiant. Quapropter his de rebus in Heluetiam miſſa legatio eſt, & Mediolanum altera. Qui ex Heluetia redierunt, Helueticis pagis Mediolanenſia pacta probari dixerunt. At is, cui ad Fuentanum legatio data, qui fuit ille ipſus Beli iam mihi narratus, verſutè quædam occuluit; quædam pauculis in aurem inſuſurrauit. Propalam hanc Fuentani poſtremam orationem fuiſſe dixit, Si Rhæti pacta ſibi conſignata miſerint, arcem ſolo æquatum iri. Hac conditione audita, eam communitates inſidioſam iudicarũt. Quid, inquibant, ſi fœdere à nobis probato, & conſignato, arx nihilominus maneat? Num quiſquam tantæ rei fidem eſſe

in libidine Fuentani æquum cenſet? Hinc res infecta manſit. Interea Alfonſus Caſalis regis Hiſpaniæ legatus, qui tamen miſſu Fuentani Helueticas, & Rhæticas legationes obiret, inductu quorumdam Rhætorum Curiam profectus eſt ea ſpe, vt omne hoc negotium è ſententia Fuentani tranſactum redderetur. Sed cùm videret, gentem factionibus diſtineri, & Fuentani deſtinatis intercedi, nihil vltra molitus ad ſuos redijt. Ne tamen prorſus de nihilo veniſſet, Hiſpana factio perfecit, vt nonnullæ communitates Mediolanenſe fœdus conſignarent.

Haud multò poſt pagi Heluetici vnâ cum quatuor Rhæticis legatis totidem ſuos de hoc Rhætico negotio Mediolanum miſerunt. Ab vtriſque conſummata res eſt in eas leges quæ Fuentano complacitæ. Scilicet, vt liceat Hiſpano in Rhætis habere delectum militum. Vt ei Alpium Rhæticarum itinera quouis tempore pa-

teant, exercitibuſq; ſuis. Si quis ſuis militaribus copijs illhac tranſitum petat, ne liceat Rhætico ſenatui eam copiam cuiquam facere, niſi Mediolani præfecto priùs conſulto. Huius vnius æſtimatio, iudiciumque ſit, an ex eo tranſitu Mediolanenſis res detrimentum capere poſſit. Quicquid is ſuper ea re decreuerit, eo ſtetur. Satis apparebat, ſcripto in has leges fœdere Gallicum fœdus temerari, Venetum ſolui, vim Helueticam Heluetiæ finibus circumſcribi, Rhætis id quod pulcherrimum habent, adimi, ius concedendi per ſua tranſitus cui velint, ac denegandi cui eum conceſſum nolint; omnem eam facultatem conferri in Hiſpanum, nulla, quod mirere, tantæ conceſſionis mercede; niſi quod in eo fœdere ſcriptum fuit, liciturum Rhætis liberè vnà cum ſuis mercimonijs commeare per ditionem Mediolanenſem. Qua de re cùm inter Franciſcum II Mediolani Ducem, & rempublicam Rhęticam

anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo pactiones fuiſſent, idque iuris apud vtramque gentem obtineret, ſe communitates ab eo deriſas exiſtimarunt, qui quod ipſis adimere ſine iniuria non poſſet, id conceſſum noui & luculenti beneficij loco haberi vellet.

Cùm fœderis in hanc ſententiam ſcripti ſola mentio Rhętos exerceret, concilium gentis, adnitente Merico, Ilantij habitum. Ibi, ſuffragijs earum communitatum quę eò ſuos nuntios miſerant, numeratis, fuerunt autem plurimę, compertum, Mediolanenſe fœdus reſcindi, vt potè ab ijs conditum, qui mandatorum religionem ſoluiſſe, & iniuſſu populi id fœdus feciſſe dicerentur, quo Reſpub. teneri non poſſet. Verùm Fuentanus, qui alia via rem reputaret, hinc iras auxit. Cœpto operi acriùs inſtitit. Nec illud, vt ſi non aliud, quàm inane aliquod terriculamentum eſſet, aſpici voluit, ſed breui

perfecit vt mœnia ad multam altitudinem excitarentur, & ibi omnia propemodum abſoluta crederentur. Sanè in paucis menſibus emerſit negotium atrox, minax, prorſus horribile liberę genti ſpectaculum, ſcilicet arx in ipſis ſui primordijs nullius rei egens earum, quæ ei munimento eſſe poſſent; atque adeò in quam paulò poſt quicquid & obſidioni ſuſtinendę, & cuilibet, quamuis arduę, oppugnationi audendæ vſui eſſet, vndique congeſtum. Cęterùm quò magis Rhętos nouam arcem ſpectantes horror perſtringeret, hoc Fuentanus intentior cuncta parare, & hoc incœptum ſuum iactantiùs extollere, qui vnica mole loco tam opportuno excitata, omnem Rhętis, & finitimis populis aditum in Italiam occluſiſſet. Id verò glorians in maius celebrare, & victorię, ſummique decoris loco ducere. Hęc ante meum in Rhętiam aduentum ibi acciderunt.

Vt Mericus è Rhętia diſceſſit, miſſu Senatus Curienſis, quinque eiuſdem ordinis viri ad me venerunt orantes vt exemplo veterum Gallię legatorum Curię domicilium habere vellem. Et quibus rebus in eam mentem impelli poſſem, earum nullam prętermiſerunt. Quippe non erant neſcij, alibi quàm Curię electam à legato habitationem ipſis fluxam quodammodo fidem exprobrare; quam ſanciendo Mediolanenſi fœdere, cuius ipſi pręcipui propugnatores haberentur, vnà cum alijs aliquot communitatibus proderent. Annui, ſi ipſis fœdus Gallicum ratum eſſet. Quo reſponſo ad ſuos perlato, eodem allegatu redierunt ad me, qui tunc ad Maię campum eſſem, qui dicerent, Senatum, populumque Curienſem nunquam ea mente fuiſſe, vt de fœdere tam vetuſto derogaret. Siquid aduerſus ea dictum, ſcriptum, aut mihi ſecus relatum eſſet, id ab ſe profectum negare. Se, quod pertinet ad fœdus, ſolenni ſcripto, quam

quam declarationem vocant, ſuam fidem eſſe regi probaturos. Cęterùm cùm Mediolanenſi fœdere Gallicum infirmari, atque adeò ſolui palam ſit, ipſe eorum dicta ſic accepi, perinde ac ſi, ab ſe id fœdus reijci profiterentur. At illis longè alia mens fuit, qui vtrumque fœdus congruere callidę interpretationis repertores argutabantur. Ea porrò tergiuerſatio huc ſpectabat; vt annua regis beneficia, quas vocãt penſiones, ſibi procederent. Igitur Mediolanenſe fœdus ita amplectebantur, vt Gallici deſertores haberi nollent. Inter Mediolanenſia commoda, & regia munera animi fluctuãtes denique huc deſcenderunt, vt neutris multari vellent. Iuſſu ſenatus, & quinque tribuum, in quas cunctus Curienſis populus deſcribitur, editur ſcriptio, cuius tenore ſibi communitas Curienſis Gallicum fœdus ratum eſſe, per neſcio quam verborum ieiunitatem profitetur. Id ſcripti vnà cum literis regi in-

ſcriptis mihi mittitur; A me ad regem. Quæ Curienſibus eadem quibuſdam alijs communitatibus mens erat, ijs, quę non quidem palàm, ſed re à noſtro fœdere deſciuerant, & Mediolanenſe tuebantur. Omnes pari aſtu nobiſcum agere. Omnes vtilitatum ſuarum, quàm conſtantię rationem potiorem ducere. Id quod etſi mihi iam ſubolebat, malui tamen decipi, quàm non omnia experiri, quibus homines mutatu faciles, & in noua fœdera prę-cipites ad meliorem mentem perduci poſſent. Quamprimùm potui, Curiam habitatum iui; in qua vrbe haud multò poſt, omni ſcena diſcuſſa, omnia infeſta reperi.

Per eoſdem dies, cùm duo milites Hiſpani ex arce profugi illud iter pergerent quo itur Clauenam, ab nonnullis ſuis commilitonibus circumuęnti, & in arcem retracti ſunt. Eos milites is qui Clauenę pręeſt, Commiſſarium vocant, per literas ſibi remitti

poſtulauit, ſed nequicquam. Ad hunc nuntium excita omnis Rhętia vltionem meditari. Hanc ob cauſam, & alia nonnulla, de more tria capita Curiam conueniunt. Id nomen Triumuiris, qui in ſingulis fœderibus ſinguli eliguntur. Hi pręſunt ijs conuentibus, in quibus publica res agitur. Singuli concilium ſui fœderis indicunt. Curienſis, cui propter vrbis opportunitatem exterorum literæ Reipub. inſcriptę in manus traduntur, quotieſcunque vniuerſę Reipub. negotium agitur, collegas Curiam conuocare ſolet. Signum cuiuſque fœderis, cui nomen ſigillo, ſinguli penes ſe habēt, quo acta publica conſignantur. Ij conuentus, pręter Triumuiros, conſtant ex vno, aut altero in vnaquaque communitate delectis viris. Hos, ſiquid ſubiti accidit, Triumuiri arbitratu ſuo ſecum aſſumunt, quorum conſilio vtantur. Sin minus, eliguntur ſinguli, aut bini, rarò terni à ſingulis commu-

nitatibus; iiſque dantur mandata ſuper ea re, qua de agitur. Hęc mandata quandoque ſunt libera, quandoque pręſcripta, & pręfinita. Tunc pittagum Curiam vocari ſumma res, vt aiebant, in diſcrimen adducta poſtulabat. Nam pręter nouam arcem, & ea, quæ de perfugis memoraui, qui Mediolano veniebant nihil niſi atrox nuntiabant; Illud in primis, Statuiſſe Fuentanum Aduam fluuium inducere in ima eius collis, in quo ſummo arx eſt ſita. Id opus Rhęti negabant fieri poſſe, niſi in ea terra, & ex eo aquarum agmine, quæ ſuę ditionis eſſent. Id ſe vniuerſa gens paſſuram negabat. De ea re Triumuiri dant literas ad Communitates. Monent vt in ſingulis præſto ſint centum lecti viri, qui primo quoque vocatu armati quò iuſſi fuerint, accurrant. Tunc illi, quos iam ſignaui, primores, (hos illic vocant groſſantes, quaſi dicas megiſtanas) rumoribus iratæ multitudinis

exagitari cœpti, vt quorum culpa vniuerſi in hos fluctus incidiſſent. At cùm pittagum publica pericula circumſpectaret, eâdem fœderatorum opem, vt vnicum feſſis rebus ſubſidium, aſpectare. Ea re rogatus & ipſe fui, vt ibi eſſe vellem, quò ſecretarius Venetus, qui legati vicem præſtaret, poſteaquam diu expectatus eſſet, venturus dicebatur. Pittago, quod vniuerſæ Reipub. faciem præ ſe fert, ſalutato, ea adieci, quæ ab rege habueram in mandatis; quæ eò pertinebant, vt Rhæti intelligerent, regem eſſe in ea ſententia, ne bellum capeſſant; ſuas controuerſias, quoad eius fieri poſſit, pactionibus terminandas curent. Ab ſe ea omnia, quæ à fœderato, & amico expectari debent, expectent. Paulò poſt pittagum dimittitur, paucis exceptis ex vniuerſo ordine lectis, qui Curiæ manere iuſſi. His mandatum, vt, quod è Repub. eſſe ducerent, de eo pro ſua fide cum legatis agerent. Ipſi

ſe bifariam, & æqualiter diuiſerunt. Pars me, pars Venetum adijt; & quidem eodem prope momento temporis; ne qua inter nos, ſi ad alterum priùs aditum eſſet, vllius rei ſignificatio, aut conſilij communio eſſe poſſet. Qui ad me venerunt, hi ita ordiuntur; De me ſciſcitantur, An mecum ſeorſim à Veneto agi mallem, an coniunctim cum illo. Siquidem huic, inquiunt, Reipub. cum rege, & cum Venetis amicitię, & fœderis iura intercedunt. Veſtrum, inquam, eſt videre, an ea quæ affertis, vſque eò ſint copulata, vt diuidi nequeunt. Cæterùm fœdera iuſta æſtimari, & vetuſtum cum nupero promiſcuum, & cauſam regis cum Veneta indiſtinctam pari ſorte componi an æquum ſit, vobis diſpiciendum relinquo. Tunc infit is, cui loquendi partes datæ, Conſtantis noſtræ erga regem fidei, ex quo Gallicum fœdus renouauimus, pœnas pendimus, quibus domi Reſpub. eſt im-

peditiſſima. Hiſpanus huius fœderis intolerans, & nobis ob Gallicam amicitiam infenſus, & infeſtus eſt. Certè eum in omnibus aſperum, & atrocem experimur. Hinc nobis certa fiducia, regem nobis, rebuſque noſtris propemodum extremis adfuturum, qui eius cauſa omnia ſæua patimur. Huius regij affectus experimentum nunc à te expoſcimus eam opem, cuius ſubſidio impendentia Reipub. mala euitari poſſint. Vt hic rerum ſtatus, quo vix vllus peior eſſe poteſt, nos id ſperare iubet, tum regis literæ ad nos per Rudolfum Schauueſtinum allatæ, & ſequuta in eamdem ſententiam Merici verba nos de eo dubitare vetant. Quapropter etiam atque etiam à te petimus, vt vſque ad quem modum nobis opitulari poſſis, hîc definias. Nec idcirco te exiſtimare volumus, nos eſſe belli cupitores, qui id vnum agimus, vt Valtellinam noſtram periculo ereptam videamus; tum aliquod diræ

huic arci propugnaculum, cuius obiectu noſtra tueamur, opponamus. Te id quoque rogatum vehementer cupimus, perficias vt rex ſuæ apud Pontificem autoritatis interpoſitu præſtet vt æquis pactionibus arx Montecchij ſolo æquetur. Poſtremò, ab regis bonitate impetratum cupimus, vt nobis quamprimùm mittatur vnus ex ijs, quos habet plurimos, bello bonus vir. Ex tempore ad ea reſpondi, Negare me, eorum malorum, quibus ſe premi dicant, cauſam ad Gallicum fœdus referri poſſe; quod iam inde à Franciſco Primo ad hunc vſque diem durauit. Nec tamen de eo vnquam Hiſpanus queſtus ſit; non cùm pax facta anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono; non nuper Veruini. Id quod ſigni ſat eſt, Gallicum fœdus, & iura viciniæ, quę Rhetis, & Mediolanenſibus communia ſunt, egregiè congruere. Cæterùm mihi rex, inquam, dedit in mandatis,

vt ſuis verbis teſtatam apud vos faciam eam beneuolentiam, qua hanc Rempub. ſibi fœdere coniunctam proſequitur. Id quod quàm ex animo dicat, iam nonnullis experimentis compertum habetis, & habituri eſtis. Verùm cùm vſque adhuc nulla vllius propugnationis mentio facta ſit, nihil ab ipſo ſuper hac re decerni potuiſſe ſatis, opinor, intelligitis. Siquid fortè accidit, quod vos vobis conſulere cogat, nihil, ſcilicet, eſt æquius, quàm eius rei regem ſcientem fieri. Atque adeò cùm Venetus tamdiu expectatus fuerit, eum interrogari priorem; tum ab Veneta Repub. ſiquid affert, id quoque eum apud vos priorem expromere ſanè quàm æquum eſt. De rege hoc habetote, etſi ſingulari ope diuina bellum inexplicabile feliciter patrando regnum Francicum ſolida quiete donauit, qua felicitate vix vllam maiorem vniuerſa gens voto concipere potuit, hinc tamen eum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nec tumidiorem, nec ferociorem factum, ſed ſanè manſuetiorem, & ſic animatum, vt ex omnibus orbis Chriſtiani regibus extet nullus, qui ſit amantior pacis. Hæc non ſolùm Gallico, ſed vniuerſo nomini Chriſtiano, ijs præcipuè gentibus quæ Gallica amicitia præfulgent, immota vt maneat, ſcitote eum ſumma ope ſemper eniſurum. Talibus vtrinque dictis, abierunt. Sed, veſperaſcente die, redierunt ad me cum hac oratione; Computato, inquiunt, eo impendio, quod poſtulat paratus eius propugnationis, cuius apud te plurimam mentionem fecimus, & quibuſdam alijs, quæ differri ſine periculo non poſſunt, reperimus, illud redigi ad quina dena millia coronatorum aureorum. Quam pecuniam ſi nunc minùs potes totam, at eius partem quæſumus te vt nobis numerari iubeas. Ad hæc illud ipſum reſpondi quod mane. De re tota regem certiorem fieri oportere. Tum à Veneto eli-

ciendum, quid ſe ad hoc negotium collaturum dicat. Ibi vnus iſtorum, Rem, inquit, tam æquam, tamque puſillam petimus, vt non mereamur dimitti irriti. Non, inquam, repuli preces veſtras, qui rem ad regem reijcio. Cæterùm magnitudini regis domini mei res eſt, fateor, exigua. Sed ego grauiter peccem, ſi munus mihi datum ſuſtineam inchoare ab effuſione regiæ pecuniæ in eam rem, quæ nihil ad regem pertinet, quæque in eius notitiam nondum perlata eſt. Cùm in eam rem plura dicturi viderentur, eos obſecrare inſtiti, ne vltra pergerent vrgere pudorem meum. Ad Venetum ſua poſtulata ſcripto comprehenſa detulerunt his verbis, I

Suppliciter, inquiunt, Venetum ſenatum obſecramus, vt noſtram Rempub. ne vnquam deſerat; ſed eius patrocinium volens, lubenſque ſuſcipiat.

Per Pontificem, & quacunque ra- II

tione fieri maximè poteſt, Sereniſſima Reſpub. perficiat vt arx diruatur.

III Cùm res quotidie nouos, magnoſque ſumptus deſideret, qui vſque adhuc conficiunt ſummam quinum denum millium aureorum coronatorum, iiq; ſumptus in dies multiplicentur, horum rationem à ſereniſſima Rep. haberi., eorumque parte donari cupimus.

IIII Si eſt, vt arci propugnaculum opponendum ſit, eius ædificationi, & militis præſidiarij ſtipendijs ſenatus Venetus ſumptus neceſſarios vti ſuppeditet, petimus.

V Si quam militum manum ad Valtellinam propugnandam mitti opus ſit, hos quoque ſumptus ſenatus toleret.

VI Si, dum propugnaculum conſtruitur, aut per aliam quamuis occaſionem quidpiam aduerſus Valtellinam hoſtiliter fiat, non ea tantùm ſenatus præſtet, ad quæ ex fœdere tenetur, ſed & illa, quæ legato noſtro, dum Venetijs

eſſet, promiſſa, ac poſtea Veneti ſecretarij verbis confirmata ſunt.

Vt globi miſſilium tormentorum, quas vocant bombardas, & omnis alia ſupellex, quæ eò pertinet, nobis præbeatur; aut certè quanti ea ſupellex eſt, tantumdem pecuniæ nobis detur, Senatum impenſè rogamus. VII.

Maiores, quos vocant, moſchetos centum & quinquaginta nobis dono mitti cupimus, ex ijs, qui rotis impoſiti foſſæ propugnandæ idonei ſunt. VIII

Viro cuidam militari, quem huc accerſijmus, ſtipendium dari, id quoque petimus. IX

Ad hæc ſingula certum, & quale cupiunt, ab ſereniſſima Repub. reſponſum ſibi datum iri ſperare ſe dicunt, hoc potiſſimùm tempore, quo res Rhætica ancipiti loco eſt. Id ſi non fiat, nec ſibi quicquam validioris auxilij ſuppeditetur, eaque maioris alicuius mali origo ſit, palam teſtantur, ſe eſſe extra omnem culpam, qui

cum Republica Veneta fidem ſerua-
uerint; & quæ ſunt ſuæ partes, ijs cu-
mulatè ſatisfecerint. Hiſce poſtulatis
Venetus ſecretarius ſctipto reſpondit
I ad hunc modum, Senatus Venetus
Rhæticæ Reipub. cauſam, quotieſ-
cunque res poſtulabit, amanter ſuſci-
piet, eamque omni ope tuebitur.

II Quod iam fieri cœptum, Senatus
perget id dare operam, vt de Rhætico
negotio tractatio inſtituatur, &, quo-
ad eius fieri poterit, æquis pactioni-
bus terminetur.

III Cùm non ſibi data ſint libera man-
VII data, ſe nihil habere quod reſpondeat.
Quod in manu ſua ſit, ei ſe neutiquam
defuturum pollicetur. Per literas cum
ſereniſſima Repub. diligenter aget, vt
quibus rebus maximè poteſt, Rhætis
commodet. Ad hæc intra quindecim
dies ſe inde aliquid reſponſi acceptu-
rum ſperat.

IIII Cùm hæc ſint magni momenti po-
V ſtulata, quæque multa ſecum trahunt

fortaſſe plena periculi, optimum factu fore, ſi in aliud tempus differantur, ſaltem vſque dum regis Hiſpaniæ reſponſum ad Heluetiorum literas allatum ſit; atque adeò donec ſciri poſſit, quemnam inſtituta tractatio exitum habitura ſit. Enimuero tunc de his actum iri opportuniùs. Cæterùm non parum miratur, ſecum agi per eam, quam vocant proteſtationem. Eam nec agnoſcit, nec recipit. VIII

Paulò poſt tres Rhætici legati miſſi fuerunt Badam ad concilium vniuerſæ Helueticæ gentis, quod ibi propediem futurum erat. His dato ſenatu, princeps legationis verba fecit in hanc ſententiam, Patres conſcripti, A Rhæticis communitatibus miſſi ſumus ad vos, vt è nobis cognoſcatis, quot modis Comes Fuentanus Mediolani præfectus atterat gentem noſtram. Omne quod inter nos & Mediolanenſes commercium fuit, ſuſtulit. Omni commeatu prohibemur; & quidem con-

tra fidem earum conuentionum, quæ fuerunt inter nos, & Franciſcum II. Mediolani Ducem anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo. Iiſdem pactionibus iteratò eliſis, arcem vbi ei minimè licuit, condidit noſtris finibus propiorem, quàm eſt arx Muſſi, ac turris quæ fuit in lacu. Omni iure gentium poſthabito, is nos & noſtra ludibrio habere pergit. His atrocitatibus permota gens noſtra ſæpius obeundo pagos queſtus ſuos ad vos ſuppliciter detulit. Quippe læſi, ac tantùm non oppreſſi quos accidamus, niſi vos veteres amicos, & fœderatos noſtros? Re toties ad vos perlata, tandem decreto veſtro ex omni pagorum numero quatuor viri à vobis lecti ſunt, quibus legationem ad Fuentanum dediſtis. Scilicet à nobis impetrare potuiſtis, vt omne hoc negotium, quo ſumma res noſtra continetur, paucorum fidei & fiduciæ mandaremus, ſatis credito, idipſos à vobis habuiſſe in

mandatis,

mandatis, vt ne quid aduerſus antiqua fœdera nouari paterentur. Nec enim gens noſtra neſciebat, vos pulchrè intelligere, hoc negotium non ad nos magis, quàm ad omnes fœderatos pertinere. Et verò coniunctis animis id nobiſcum agebatis, vt noua arx diſijceretur. Id vos P. C. veſtro decreto vberiùs contineri, non eſtis immemores. Neque tamen ex ea die de arce diruenda quicquam actum. Nec ergo noſtri Mediolanenſe fœdus ratum habuerũt. Nam ſiquid ſub cõditione promiſeris, ea ſublata, nihil promiſeris. Id cùm vos, Patres, probè intelligeretis, æquum cenſuiſtis id fœdus à noſtris confirmari, ſi modò arx diruta eſſet. Deniq; hæc veſtra & noſtra ſententia fuit, vt, his rebus compoſitis, ſiquis ad Mediolanenſem ducatum hoſtiliter accederet, huic nos noſtra arma opponeremus. Hinc ſciri poteſt, vos, patres, eam rationem ſic putaſſe, tali fœdere de exiſtimatione gentis noſtræ nihil detrahi;

nihil item de noſtris fœderibus derogari. Hic noſter, veſterque ſenſus tam congruens quò faciliùs promoueri, & cedere ad factum poſſet, ad regem Hiſpaniæ literas dediſtis, & ad Fuentanum alteras. Illis rex rogatur, det hoc ſuæ erga Helueticam gentem beneuolentiæ, vt eam arcem deleri iubeat. His agitur cùm Fuentano, vt, dum ab rege reſponſum expectatur, illa arcis conſtructione ſuperſederi velit. Verùm cùm ex Hiſpania nihil adhuc allatum ſit, quid inde ſperare poſſimus, non difficile exiſtimatu eſt. Certè Fuentanus cœptis nihilo ſegniùs inſtat. Atque adeò ijs literis, quas ad vos dedit, ſatis ſciri vult, ſibi eſſe in animo deſtinata perficere. At etiam Rhætos vſque adhuc nihil ceſſat increpare maledictis. Certè in eam gentem apertè contumelioſus eſt, quæ neminem perfidia, & infidelitate violauit. Quippe propalam dicimus, gentem noſtram mortali dediſſe in mandatis nemini,

vt vllas fœderis pactiones faceret, ſi non priùs arx diſijcitur. Et adhuc iſta ſic dicimus, vt ſi non his deteriora admiſerit; ſi eſt, vt ijs, quæ dicta ſunt, quicquam nobis, & omnibus bonis inuiſius dici poſſit. Duos milites nuper ex arce profugos in noſtra terra circumuentos, & captos alij Hiſpani milites, vinculis inditis, nauiculæ impoſitos vnius horæ ſpatio, & eo ſinu lacus vectos, qui noſtræ ditionis eſt, in arcem retraxerunt. Qua de re cùm Clauenę Commiſſarius ad præfectum arcis literas perhumaniter ſcriptas dediſſet, quibus is monebatur, vt fas gentium, & iura viciniæ vellet eſſe inuiolata, non modò nihil ęqui reſpondit, ſed epiſtola iniurioſè ſcripta, tum plena ſuperbiſſimi contemptus, non ſolùm vt ſi ipſe vnus cum Rhętica Repub. ex æquo agat, verùm vt ſi ſibi cum deterioribus negotium ſit, propemodum ita loquitur. Enimuero cum nullo viliſſimo vllius gentis capi-

te vnquam tam contemptim, & contumelioſè actum eſt. Hominis audacia eò proceſſit, vt etiam moneat Rhętos, ne ſatagant rei tantulæ; ſed ſe erga Fuentanum gratos probent, cuius eximio beneficio tot ex agro Mediolanenſi commeatibus iuuantur, ſine quibus fame abſumerentur. Cùm ſuperbia cœlo deturbata fuerit, cenſet ne nimiùm ſuperbiant; nec plus æquo fidant montibus in immenſum editis; cùm multò editiores fuerint aliquando ſubuerſi. Etiam atque etiam caueant, ne ſe Galli & Veneti circumueniant. Nunc quidem, inquit, eſtis vos quidem aliquo loco. Verùm ſiquid auſuri eſtis, ſcitote, vos omni veſtra ditione propediem exutum iri, &è dominis fore mancipia. Proinde ad Hiſpanicam amicitiam, vt ad firmiſſimum prę ſidium, accedite. Id certè veſtræ conditioni multò conuenientius fuerit. Conſultè, inquam, feceritis, cùm tales perfugę poſthac in veſtra

terra deprehenſi fuerint, ſi eis manu iniecta, & in vinculis eos ad Mediolani præfectum miſeritis. De hac huius præfecti immanitate cùm Rhæticus ſenatus apud Fuentanum per literas ſuos queſtus detuliſſet, ſpeſque eſſet, eum iuris gentium memorem iuſtis noſtrorum deſiderijs ſatis eſſe facturum, non modò quicquam benedicè, ſed omnia præfractè reſcripſit. Ait, milites, qui pœnas luerint, remitti non poſſe. Poſthac nihil tale euenturum. Cùm de eadem re ad eum literas iteratò dediſſemus, reſpondit ijs verbis, quibus fides fit, ipſum nullis eorum precibus moueri, quibus arx ab ſe condita omnem in Italiam aditum intercludit. Id enim dici non poteſt, quàm in gloria ponat, & quàm inde ſe is magnificè efferat; & quantum ſe è noſtra contumelia ſplendoris adeptum putet. Nunc P. C. veſtrum eſt, hæc tam atrocia, quæ à nobis ex fide memorantur, diligenter cum animis

veſtris reputare. Iam eſt, cùm indignis modis contempti, ac tot difficultatibus circumuenti ad vos ſupplices confugimus; veſtrum conſilium, veſtramque opem expoſcimus. Si nobis auxiliatores fueritis, vobis certè eritis; quandoquidem iniuria, quæ nobis fit, ad vos maximè peruenit. Adnitimini ergo nobiſcum, Patres, & excitate illam præclaram vim animi veſtri, quæ ſemper omnis contumeliæ intolerans fuit. Adeſte nobis, qui eo animo erga vos ſumus, vt omnia noſtra veſtra eſſe profiteamur. Plura non addimus, ne veſtræ bonitati diffidere videamur. Huius tantùm vos meminiſſe cupimus, Per nos calcatos, quod omen Deus auertat, peruium ad vos aditum ijs fore, quos noſtræ libertati infenſos ſi non videremus, cæcis profectò annumerari poſſemus. Ex decreto ſenatus huius orationis præcipua capita ſcripto comprehenſa delata ſunt ad legatum Hiſpaniæ, qui Badæ eſſet. Is

die ſequenti, ſalutato ſui regis, & Fuentani verbis ſenatu, & ijs additis, quæ in talibus exordijs vſurpari ſolent, beneuolentiæ ſignificationibus, anne imitamentis? hoc ſenſu orationem habuit. P. C. Rhætos apparet eſſe parum memores quantum Fuentano debeãt, qui, etſi nullo vnquam ipſorum ſtudio, & nulla beneuolentiæ ſignificatione prouocatus fuit, liberum tamen eis tamdiu commercium permiſit. Cui benignitati acceſſit non exigua ſpes, fore, vt in gratiam Heluetici nominis conditiones fœderis mitigarentur, atq; adeò arcis ædificatione ſuperſederetur. Quippe hac munificentia inuitatos ictum fœdus conſummaturos Fuentanus meritò ſperauit. Ipſe quidem affirmaueram, non paſſuros vos, veſtram legationem, quæ Mediolanum deſtinaretur, fruſtra eſſe, ſed ſanè ei datum iri libera mandata, & omnem poteſtatem perficiendi id omne quod ibi conuentum, ac tranſactum

eſſet. Verùm enimuero quàm omnes fruſtra ſimus, nunc demum intelligimus. Non modò pro tot beneficijs fœdus non eſt cõſummatum, ſed haud ita diu Fuentanus reſciuit, ab iſtis reijci pacta Mediolanenſia, quæ ſunt leges eius fœderis. Ibique iam haberi militum delectus, & ad conlimitia ducatus Mediolanenſis militares copias adduci. Et adhuc arcis ędificatione ſuperſederi æquum cenſent. Quis ille eſt, qui re tali, id conſilij capiat? Quin Fuentanus, mihi credite, nequit ſatis mirari, vos cunctando iſtis ignoſcere, nec iniuriam, quæ vobis facta eſt, vltum ire. Nam iſti quidem prorſus reſcindunt ea, quæ à tredecim pagis per ſuos legatos acta ſunt. Et vos iſta vobis toleranda cenſetis? Cęterùm quàm immeritò arcem conſtrui querantur, quilibet exiſtimare poteſt, qui modò ſciat, Neminem prohiberi ædificare in ſuo. Qui minus hoc iure vtatur Hiſpaniæ rex dominus meus? Nam pactiones

anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi Rhæti non neſciunt, neutrobi vſurpando extinctas fuiſſe; nec regem ad eas præſtandas adigi poſſe. Sed ſanè vigeant illæ pactiones; Ijs demus regem obligari. Quid aliud continent, præter caſtrum Muſſi, eamque turrim,quæ olim fuit in lacu? Hac à Marchione Marignani recepta diſiectum iri,nec reſtitui poſſe ijs pactionibus expreſſum. Num ideo dixeris, regi non licere alias arces ponere,dummodo in ſuo, prout res poſtulabit, & ipſi collibitum fuerit? Porrò cùm veſtri legati illud iter ingrederentur, profeſſi ſunt, ſe regiæ maieſtati ſupplicaturos, vt,quæ ſua bonitas eſt, Rhætos hac arce ſubleuatos velit, eamque demoliri iubeat. Id ſcilicet, ita agebatur, vt non priùs his precibus rex adiretur, quàm cuncta à Rhætis perfecta eſſent. Et adhuc miramur, ſi rex nondum reſpondit ijs literis,quas ad eum miſiſtis? Omitto, eas literas iam adulto Ianua-

rio fuiſſe miſſas ad Fuentanum. Quid
ſi eas Fuentanus paulò ſeriùs miſit in
Hiſpaniam, nimirum, vt inter eas mo-
ras fidem Rhætorum diutiùs explora-
ret, quò de eo negotio certiora regi
ſcriberet? Quod attinet ad perfugas,
nulla cauſa eſt, cur de eo Rhęti que-
runtur. Certè è Fuentani literis ad me
datis eam rem ipſi ęgrè fuiſſe cognoui;
Nec ipſum putaſſe, fore vt Rhætos ea
res tam vehementer conturbaret. Se
verò literas ad ipſos dediſſe ait, & ſic
exiſtimaſſe, hac ratione ipſis ſatisfieri
poſſe. At arcis pręfectus in eo quod
ſcripſit, fortaſſe lapſus eſt. Sit ita ſanè.
Etſi à tali viro vix quicquam temerè
iactum, aut ſcriptum puto. Credibile
eſt, id ſcripti non fuiſſe ex fide inter-
pretatum. At quantò magis plecti di-
gnus eſt is, qui Venetijs, dum ſolennia
fœderis peragerentur, cunctis audien-
tibus, auſus eſt dicere, Illud fœdus
contra communem hoſtem iniri, haud
dubiè regem dominum meum hoc di-

cto ſignans? Hæc, Patres, habeo quę reſpondeam ad ea, quæ heri veſtro iuſſu perlata ſunt ad me. Vos etiam, atque etiam videte, vt ea pro veſtra prudentia diligenter expēdatis. Quippe harum rerum ductu eorum conſilia pernoſcetis, qui non de nihilo fouent hæc diſſidia, quę nonniſi in vniuerſæ Helueticę gentis perniciem euadere poſſunt. Cui tamen periculo rex dominus meus, pro ſuis viribus, & excellenti potentia, ſi quid ipſi occaſionis datum fuerit, obuiam iturus eſt. Deum oro vt omnia bene vertat; & vos, Patres, diu incolumes eſſe velit.

Hoc Hiſpanici legati reſponſum ſcripto mandatum cùm ad Rhæticos legatos perlatum eſſet, Senatu eis dato, in hunc modum verba fecerunt, Patres conſcripti, De commercio & commeatibus ea quę ab Hiſpanię legato memorata ſunt, verá agnoſcimus. Nec in ijs Fuentanum pacta non ſeruaſſe querimur. Sed eâdem ipſum officio

ſuo nihil egreſſum eſſe, & pactis anni milleſimi quingẽteſimi trigeſimi primi ſtetiſſe dicimus. Ea quamuis nulla eſſent, iure tamen viciniæ hoc nobis tribui ęquum foret, vt, pro qua re argentum pendimus, ea ne nobis denegetur. Hoc, ſcilicet, ius gentium eſt, dummodo inter contrahentes nullę apertæ, & indictę ſint inimicitię, cuiuſmodi nullę inter nos ſunt. Quinimo res teſtis dari poteſt, noſtros cum præfectis ducatus Mediolanenſis mutuis beneuolentiæ ſignificationibus nunquam non certaſſe. Eius rei illuſtre documentum vel hoc eſſe poteſt, quod aliquot ab hinc annis quidam negotiorum regis Hiſpanię curator venit ad nos, quos ad fœdus cum rege ſuo faciendum inuitauit. Sed tunc quidem quòd nouo fœdere nos regi Chriſtianiſſimo obſtrinxiſſemus, ad fidem noſtram pertinere exiſtimauimus, non pati de ea re vltra nobiſcum agi. Finito Gallico fœdere, cùm eo vinculo ſoluti eſſemus, nec eius rei à

quoquam mentio fieret, videlicet, vos imitati, atque adeò vnà vobiſcum fœdus cum Gallo renouauimus. At fœdere nos cum Venetis, coniunximus. Nempe cum Repub. libera; cuius ditio Valtellinæ noſtræ contermina cùm ſit, cuiuis palàm eſt, oportere nos & Venetos vinciri perpetua concordia; cùm potiſſimùm inde ad nos multa beneuolentiæ documenta permanarint. Nulla ſanè cauſa fuit, quapropter nos de ea re Hiſpaniæ regi diſpliciturum putaremus; cùm ei fœderi eæ exceptiones additæ ſint, quibus apparet, nos id agere, noſtris vt fœderatis abundè cautum ſit. At Mediolanenſem tractationem à nobis prolatari, & poſthaberi apparet. Iuſtam querelam fateremur, ſi legati noſtri, qui eas pactiones fecerunt, mandati finibus non exceſſiſſent. Hos enim dicimus, habuiſſe in mandatis, vti quatuor legatos Helueticos omnem rem, vt eſt, fideliter edocerent.

Nullius rei præterea licenciam eis fuiſſe permiſſam. Nam quod ijdem illi legati veſtri in ſe receperant, nihil de commodis, & exiſtimatione gentis Rhæticæ per hanc tractationem detractum iri, noſtra plurimùm interfuit, ne quid eis in re tanta fuci fieret, omni ope prouidere. Eſto, factæ ſunt pactiones ab ijs, quibus eius rei nulla data poteſtas. Nunquid ob ea pacta conuenta arx diſturbata eſt? Annon potiùs decem diebus antequam de ea re relatum ad communitates eſſet, cœptum opus magis, magiſque feruere cœpit?

Delectum capitaneorum & militum ſub aliquot vexillis in Rhætia habitum non inficiamur. Verùm non ea mente, vt cuiquam negotium faceſſamus, ſed vt noſtra iniuria defenſemus. Cùm rumor ſatis conſtans inceſſiſſet, omnem agrum Mediolanenſem militum & armorum paratu ſtrepere, quorum vi ad ſanciendum fœdus adigeremur,

nobis, opinor, danda fuit opera, vt nequid in noſtris finibus turbaretur. Atq; adeò nos ita comparauimus, vt, ſiquid hoſtile ingrueret, armis nos, & noſtra tueremur. Verùm cùm nihil tale acciderit, quo nos moueri neceſſe fuerit, quieſcendo qua mente eſſemus, palàm fecimus. Et huc rem inclinaſſe gauiſi ſumus.

Si Rhæticus orator communem hoſtem dixit, quid peccauit? Huius quidem vocis proprium & ſingulare eſt, vt ſingulariter prolata complectatur multos. Si quid aliud, inconſultiùs euectus, proieciſſe conuincitur, non cauſam dicimus, quin pro merito in eum vindicetur.

Qua mente præfectus arcis eas literas ſcripſerit, & ſtylus, & verba docent. Eæ autographæ literæ ab arce miſſę vnà cum interpretatione, antequam magiſtratui noſtro in manus traderentur, à nemine ſunt contrectatæ. Nec atrocitas iniuriæ diſſimulari,

nec magnitudo contumeliȩ excuſari poteſt. Cuique licitum eſſe ædificare in ſuo, nemo negat, niſi aliud dictum ſit. Et quidem an arcem ibi condere Fuentano licuerit, ſola lectio pactorum anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi definit. Ibi dicimus, diſertis verbis cautum eſſe, ne arx Muſſi, turriſque, quæ fuiſſet ſita in lacu, reędificari, aut omnino in eorum ambitu locorum vllum vllo tempore propugnaculum conſtrui, & in vlteriora promoueri poſſit. Nec alia lege Rhætos ea regione ceſſiſſe, eamque Mediolanenſi principi reſtituiſſe. At nunc res docet, qua fide ea pacta ſeruentur; cùm noua arx ibi conſtructa ſit, vbi Rhætiȩ quantò propinquior, tantò infeſtior eſt.

Quapropter, Patres, per fœdera, & vetuſtæ ſacra amicitiæ vos rogamus & obteſtamur, vt cauſæ noſtrȩ veſtra æquitas, & autoritas ſubueniat. Eſte nobis, quorum non æqua cum rege

Hiſpaniæ

Hiſpaniç factio eſt, & confugium, & præſidium. Id quod nomine veſtro dignum ſit, tandem aliquando fortiter decernite. Sequutum eſt decretum in hanc ſententiam; Ægris oculis talia, tantaque certamina aſpicimus. Quò magis illa extingui, & vtramque partem ad concordiam redigi cupimus. Huc vt perueniri poſſit, Rhætis autores ſumus, vt in quas reș legatorum noſtrorum interuentu, cum Mediolanenſi præfecto, legati Rhætici conuenerunt, his vti ſtent; eaque pacta obſignent. Ne, ſi hoc non fiat, rex Hiſpaniæ, & præfectus Mediolani maiores iras, & maiora in nos odia concipiant. At ſi fiat, enimuero vniuerſa Heluetia Rhætorum cauſam apud vtrumque actura eſt. Nullis hîc ſumptibus, nullis laboribus parſuri ſumus. Omni ope quà per literas, quà per legatos id laborabimus, vt nouæ arcis demolitio impetretur. Certè ſpes nos magna tenet, nos huius voti reos

fore. Si ſecus acciderit, enimuero Heluetico nomini occaſionis abundè futurum eſt, quò ſe cuncti veſtri iuris vindices ferant, & quidem è noſtrorum præſcripto fœderum. Id vobis exploratum eſſe volumus. Satis apparebat, reſpectum, ne dicam metum Hiſpanicæ potentiæ huic decreto cauſam dediſſe; ac tunc quidem illud fortiſſimæ gentis animi robur ex aliqua parte detriuiſſe. Eadem propemodum fuit ratio Veneti ſenatus, qui in illa tanta occaſione ſubleuandi Rhætos, tunc quidem profitebatur, ſe Italicæ quietis turbatorem haberi nolle. Scilicet, propugnatio Rhætorum grauem Fuentani offenſionem concitatura videbatur; cuius tunc omnes, vt certæ perniciei, metuentes eſſent. Id quod cùm regi relatum eſſet, Modò, inquit, dum quietem Italiæ turbare metuunt, ne eius ſeruitutem maturent.

Poſtquam Rhætici legati Bada re-

dierunt, & Curiæ cognitum eſt, illud Badenſe decretum fruſtrari expectationem publicam, quæ ingens fuiſſet; vniuerſos triſtitia, metus, trepidatio inuaſit. Tunc intelligi cœptum, Fuentanum illicita audendo, & magnitudine iniuriæ aſſequutum eſſe ius cogendi eam gentem ad ſua libita. Quin, iam Rhæti iniurij habebantur, quòd de illius iniuriis queri auderent. Ne multa, Omnes videbant, quàm fallaci ſpe Heluetica auxilia rogatum miſiſſent. Mirantur, ne in Tigurinis quidem, & Bernenſibus quicquam ſibi opis fuiſſe; & maleuolentiam quinque pagorum ad ſe tam iuſta ſpe depellendos vtique plus polluiſſe, quàm proteſtantium ſtudia ad ſe, ſuamque cauſam propugnandam, quam Heluetici pagi tali decreto non parum debilitaſſent. Rhæticæ multitudini ad quidlibet audendum animi ardent. Palàm dicunt, ſe de vlla re per legatos agi non vltra paſſuros. Haſce conſultatio-

nes nimiùm prolatari. Sibi, vltima prope neceſſitate irritatis vnam ſpem eſſe in armis, quæ ſi ſemel cœperint, eos ſibi aduenturos auxilio, quos nunc parum æquos experiantur. Qui eſſent ſapientia paulò ſpectatiores ſumma ope eniſi ſunt lenire plebem, ne quid impetu cœptaret, quo perpetrato, nullus ad pœnitendum receptus eſſet. Dum ſuper his rebus conſulitur, tentari placuit, ſi Tigurinis, & Bernenſibus perſuaderi poſſet, vt vno animo cum Rhætis rem capeſſerent, omnes coniunctis ſtudiis, & viribus omnes rationes exquirerent, quibus Fuentanus ad æquitatem flecti, aut cogi poſſet. Nulla nec ſua paupertate, nec vllo Hiſpanicæ potentiæ metu maior pars cohiberi videbatur poſſe, quominus in agrum Mediolanenſem ſeſe armata effunderet. A deſperatione, & ira vſque eò ſtimulabantur, vt ſibi hoſtilem agrum populantibus nihil dicant fore periculi; quibus, videli-

cet, ſi vrgeantur, facilis, ac tutus in ſua receptus ſit. Poſtremò non dubitant, quin immeritò laborantibus & diuinitus, & ab amicis ſuppetiæ ferantur. Id in primis perſuaſum habent, eos pagos, & alios, quibus cum ſibi ſunt communia ſacra, ad hos motus eſſe conſurrecturos. Curiæ decretum fit, vt aliis pagis poſthabitis, dein agatur cum ſolis proteſtantibus, quos ſibi fidos, & amicos arbitrantur. In his, & in rege ſpem omnem ponunt rerum ſuarum. Igitur ad hoſce pagos legatio decernitur, quæ de ſumma re cum ipſis agat.

Quò magis omnia apud Rhætos erant mœſta, hoc Mediolani lætiora aſpiciebantur. Ibi enim vulgabatur, In conuentu Badenſi legatum Hiſpanum fuiſſe cauſa ſuperiorem non ſolùm aduerſus Rhætos, verùm & contra ipſum Gallicum legatum. Iam tempus adeſſe, quo Rhæti, vel ingratiis, pacta Mediolanenſia rata habeant, & conſignent. Nec totum ex vano fuit id,

quod huius rumoris autores hinc innuebant. Si enim Mediolanenſi fœderi inito in eas leges, quæ dictæ ſunt, locus ſit, palàm eſt, non ſolùm Gallicum, ſed & Venetum fœdus reſcindi. Et verò quo pluribus militum delectus conceduntur, hoc ſingulis minores, & infirmiores eſſe palàm eſt. Alpium tranſitum indifferenter concedere duobus, aut pluribus quid aliud eſſe dicas, quàm eum vtrique pariter occludere? certè eum neutri promittere? Atqui hæc duo ſunt illa, è quibus fœdus conſtat. Vel altero labefactato, totum fœdus corruere neceſſe eſt. Quid, ſi vtrumque fœderis caput hac nouitate ſubruitur? Enimuero quorum ad aures hoc Badenſe decretum accideret, nullus non portenti rem ſimilem dicere. Hæ erant cunctorum voces. Vſque eóne, cùm hęc in illo Badenſi concilio agitarentur; ibique eſſent non pauci annuorum Galliæ regis beneficiorum acceptores aſſidui, ex his re-

pertus eſt nemo, qui ſuo patrocinio regis tam benefici rationes tueretur? Annon potiùs omnes, quanquam à regis legato commonefacti & rogati, veluti compacto diſſimularunt, quàm inſignis è Mediolanenſi fœdere iniuria in regem redundaret? Verùm ridiculè ab iis expectandum fuit, vt ius regis tuerentur, qui proprij deſertores eſſent. Certè ipſi Heluetij poſt hæc, oculis apertis, aduerterunt, ſibi ipſis hoc Mediolanenſi fœdere, quominus in Italiam tranſeant, Rhæticas Alpes occludi. Ibi tamen repertus eſt nemo, qui vocem Helueticis ſpiritibus dignam emiſerit. Tantùm à priſca Heluetiorum virtute tunc deſcitum. Vſque eò omnia externæ libidini prona & obedientia fuere.

Iiſdem ferme diebus, cùm de hoc rerum Rhæticarum ſtatu regem per hominem certum certiorem feciſſem, ab eo literas accepi in eamdem ferme ſententiam, qua eſſent illa, quę ſupra

dixi. Se Rhætis autorem eſſe vt commotiora conſilia vitent; omni poſita ferociori ſententia, pacem cupiant. Hinc ſe deduci à nemine patiantur. Suas controuerſias pactionibus, quàm armis finire malint. Quam rationem ſi ſequantur, ſuam ipſis autoritatem nunquam non adfuturam. Id quandocunque opus fuerit, re intellecturos. Si hoc pacto nihil æqui impetrari poſſit, ne tunc quidem ſuas iniurias manu vindicandas putent. Ne omnino bellum ſumant. At omnes fœderatos, & quoſcunque ſibi amicos rentur, quo loco ſint, edoceant. In primis eos, quorum, ob viciniam, rem Rhæticam ſaluam eſſe maximè intereſt. Ne neſciant, ecquid opis inde ſibi ſit expectandum. Se, vbi hoc reſciuerit, etſi ad regnum Gallię tota res parum pertinet, fœderi tamen, & amicitiæ daturum, vt gentem oppreſſam ſua ope ſubleuet. Hæc me rex ſuis verbis in concilio gentis expromere voluit. Verùm ea, quæ eſſent

expreſſiora, premi, donec Heluetij & Veneti iiſdem ſuper rebus ſententiam ſuam denudaſſent. Ea fuerunt huiuſmodi. Quoniam de conſtruendo propugnaculo Rhæti agitent, quod è proximo opponatur arci, & Valtellinæ præſidio ſit; & itinera, per quæ Rhęti & Veneti commeare ſolent, tuta & innoxia præſtet, & hoſtium, ſi qui fuerint, excurſiones arceat, ſibi id conſilij non improbari. Ac, dum alij fœderati Rhætis contermini ſuam quiſque aliorum ſumptuum partem ad Rhætos tuendos conferāt, ab ſe in eius propugnaculi conſtructionem neceſſariam impenſam ſuppeditatum iri. Se in Rhętiam miſſurum eſſe hominem talium peritum, qui fundando propugnaculo locum idoneum eligat. Ab ſe quoque datum iri ſtipendium ijs militibus, qui ibi præſidio futuri eſſent, quos credibile eſt, non fore pauciores quàm centum & quinquaginta, nempe Rhætos, vnà cum eorum præfecto,

cuius eligendi ſibi &Rhæticę Reipub. æqua poteſtas ſit. Hæc propulſando ei periculo, quod inſtare dicitur, ſatis eſſe viſa, vſque dum quid vltra conſilij capiendum ſit, & res, & dies monuerit. Quod ſi maior aliqua neceſſitas ingruat, ſi bello aperto cum ipſis agatur, ſi vim vi repellere cogantur, ſe ſuis fœderatis in ſingulos menſes miſſurum eſſe viginti quinque coronatorum millia, quoad bellum fuerit. Cæterùm ſi foſſa tranſuerſa per Valtellinam ducta militari præſidio firmanda ſit, eam rem æquum eſſe ad aliorum fœderatorum curam pertinere. Hæc meę fidei, ac taciturnitati credita nemo tunc ex me reſciuit. Nullus enim fœderatorum ſe aperuerat. Nec tamen eos monere deſtiti, qui Reipub. negotia curabant, vt è proximis fœderatis exculperent, qua quiſque ope Rhęticæ Reipub. ſubuenturus eſſet. Hoc vbi ad me perlatum fuerit, dixi, ipſos quoque ex me cogituros om-

nem mentem regis, quæ nihil ſpectet, niſi regium & munificum, & gentis ſibi fœderatæ incolumitatem.
Paulò poſt Ilantij habitus eſt cõuentus M.DC.VI is, in quo iudices, & magiſtratus eos, qui trans Alpes ad iura in ſuis prçfecturis, & iuriſdictionibus reddenda profecturi ſunt, in verba Reipub. adigi mos eſt. Ibi actum fuit de eligendis iudicibus, qui rerum capitalium cognitiones exercerent. Nimirum, vt quçreretur, & vindicaretur in eos, qui faciendo & conſignando Mediolanenſi fœdere Remp. prodidiſſe dicerentur. His enim ſi tantum ſcelus condonetur, vbi loci ſumma res eſt publica? Certè magna vis hominum in id vnum negotium odio primorum intenta erat. Ea res cùm ſermonibus agitaretur, nonnulli, quorum de probitate multis compertum eſſet, me admonitum venerunt, id negotij alieniſſimo tempore ſuſcipi. Publicorum periculorum magnitudine plebem accenſam

illos neſcio quot primores, vt harum nouitatum autores, capitaliter inſe-ctari; certè eos vltioni, & prędæ deſtinare. Illud non fore tribunal, & ſedem iuſtitię, ſed arcem nequitiæ furentis, quale ſolet in Rhętis eſſe Strofrichtum. Hoc enim nomine cenſetur ille hominum, paucis exceptis, imperitorum, ac truculentorum conſeſſus; qui, rebus turbidis, à mota, & laſciuiente multitudine educitur è ſumma fæce in hoc, vt ſęuiat in perſonas, & fortunas eorum, quos ſua prauitas, ſi facinoroſi homines ſunt, aut, ſi boni, ſua infelicitas tam obſcænis capitibus mactandos obijcit. Igitur omnia ibi aſperè, & violenter actum iri, certè ex rumore, & libidine plebis iratæ, & hanc ſęuiendi occaſionem iamdiu aucupantis. Hinc fore initium earum turbarum, quę nulla cuiuſquam autoritate ſedari poterunt. Non quod ſua delicta ijs impune eſſe æquum ſit, qui ludibrio Rempub. habuiſſę dicuntur,

Sed ſibi videri eſſe è Repub. eam & quæſtionem, & vltionem in aliud tempus differri. Hoc tamen tam ſalutare conſilium qui expromere audeat, in vniuerſa Rhætia exſtare neminem. Hoc eſſe opus vnius regis. Eius nomen nec opportuniùs, nec magis ſalutariter, quàm huic incendio compeſcendo adhiberi poſſe. Me vehementer obſecrant, vt, negotio ſuſcepto, hoc beneficium dem Rhæticæ Reipub. rem vti diſturbem; ne huius remedij aſperitas multò ſit ipſo morbo pernicioſior. Ego verò, re cum Padauino Veneto ſecretario communicata, illum ea ipſa ſentire vidi, quæ dixi. Ergo tribus illorum Curiam vocatis, qui eius negotij molitores dicerentur, adhibito Veneto, eos vti hanc mentem ponerent, & ab incœpto intempeſtiuo deſiſterent, accuratè hortatus ſum; Ob eas, videlicet, cauſas, quæ cùm ipſis validæ, & veræ viderentur, mihi nihil vltra tentatum iri, eximiè polliciti

ſunt. Se potiùs enixè omnia facturos dixerunt, vt eos, qui præter ſe hoc negotium vrgerent, ab eo propoſito deducerent. Et verò fecerunt. De ea re rex certior factus meum factum non modò probauit, ſed, ſiquid in poſterum tale accideret, me eam ipſam rationem ſequi iuſſit.

Cùm defendendæ Valtellinæ conſilium omnium fœderatorum conſenſu probari videretur, Rhęti per literas vltima die Martij Ilantij datas, ab ſenatu Veneto petierunt illos centenos moſchetos, quorum ſupra facta mentio, ſibi mitti, vnà cum puluere, & globis. Cui petitioni ſenatus Venetus aſſenſus hoc munus cumulauit aliquanta pecunia, quantam Padauinus in Rhętis agens dicturus eſſet. Venetis Rhæti, datis ad ipſos literis, gratias egerunt. Simulque illi primores, ijdemque Veneti fœderis conditores, quò Venetis impenſiùs blandirentur, illud fœdus nouis codicillis, quamuis nullo ſuper

ea re communitatum mandato, ratum habuerunt; perinde quaſi vllius gentis legibus, & moribus comparatum ſit, vt vniuerſorum decreta à paucis confirmentur. Hanc eius fœderis confirmationem, quanti eſſet, etſi Padauinus pulchrè intelligebat, ne tamen horum ſuperuacaneam operam aſpernari videretur, id quod dabant, qualecunque eſſet, accepit. Cæterùm quę eſſent momenta rerum, quæque ad Valtellinam propugnandam pertinerent, illa ipſa, quæ Rhæti, vt ſupra dictum eſt, ſcripto petijſſent, ad ea nullum reſponſum comparebat. Neque tamen quiſquam de eo cum Veneto queſtus eſt; cùm me illi primores quotidie fatigare ſoliti eſſent, quò ipſis mentem regis ſuper ſuis poſtulatis aperirem. Sanè Veneti fœderis autores, ſi qua fortè eius rei vſpiam mentio fieret, Venetum ſenatum omni inuidia facilè liberabant. Idque negotium ab eo in aliud tempus grauiſſi-

mis de cauſis tranſlatum vulgabant. Tunc oculatiſſimus quiſque intellexit, Venetos huius Rhætici negotij ex tuto ſpectatores, quàm vllius grauioris nouitatis fautores eſſe malle. Et verò Padauinum tunc Venetias reuocarunt; ne ſcilicet, ſiquid in hoc æſtu negotiorum grauius & periculoſius Rhęti auderent, ijs conſilijs Padauinus autor fuiſſe, aut interfuiſſe diceretur. Omnis eius negotij inuidia à Veneto ſenatu auerſa in Rhętos, & in nos ſanè deriuaretur. Venetos quoque tunc nonnulli crediderunt iam defatigatos fuiſſe frequenti præbitione eorum ſumptuum, quos publicæ Rhętorum neceſſitates, & Rhætici ærarij anguſtiæ tunc quidem frequentes, ac tantùm non perennes deſiderabant Certè qui ſuam curam relaxarent, noſtram intendebant, & qua ſe talium onerum parte alleuarent, hæc nobis tota ſuſtinenda relinquebatur. Ac tunc quidem Veneti ſenatus ea ſententia fuit,

ſuit, illud propugnaculum extrui, non videri eſſe è re Rhætica. Quippe metuendum, ne ea ſit diuturni alicuius, & funeſti belli occaſio. Se Rhætis potiùs authores eſſe, ne omnem ſpem Mediolanenſis fœderis exturbent; eam potiùs foueant, ne Fuentanus irritatior factus nullos commeatus ad eos portari patiatur. Id tamen ſi euenerit, è ſua, & finitimis ditionibus ipſis neceſſaria ſuppeditatum iri aiunt. Id quod neque conſilij, neque remedij aut auxilij locum obtinuit.

Inter quę pagi proteſtantes, ad quos à Rhætis legationem miſſam dixi, addito Glaronenſi, cùm de Rhætico negotio Arouiæ egiſſent, Badenſe decretum ab ſe improbari dixerunt. Verùm in eo tam lentè ac perfunctoriè verſati ſunt, vt inde nihil illuxerit, quo Rhætorum ſpes erigi, aut alijs fœderatis animus addi poſſet. Tunc perſpicuè palàm factum eſt, quicquid opis ab Heluetijs ſperandum eſſet, quo Rhæ-

procul, nec ſe ex vtilitate Rhætorum poſſe quidpiam tale ſuſcipere; nec ſuadere ſuis fœderatis, vt deſerti à proximis, tum ſeri, ac longinqui auxilij ſola ſpe freti ſe bello committant. Ne, ſi ipſis ea res improſperè ceſſerit, id ſibi, vt autori alicuius cladis, adſcribi meritò poſſit. Id ſe pro ſua erga eam gentem charitate, non commiſſurum vt eueniat. Quòd ſi Rhæti, vt alicui magno diſcrimini occurrant, cogantur confirmare pactiones Mediolanenſes, id ſe vnum ab ipſis contendere, vt, re tali, ſuum fœdus ſingulari, & luculenta ratione exceptum velint. Ea exceptio ſit vniuerſis illuſtre documentum eius fidei, quam tota gens regi amico, & fœderato ſeruatam cupit. Qua moderatione rex eorum calumniam validiſſimè confutabat, qui eum vulgabant quærere occaſionem diſcordiarum, & belli; Et hanc Rhæticam cupidè arripere. Quod hominum genus prorſus igno-

rat, nullius cogitationes ac ſtudia in pace vehementiùs fixas & locatas eſſe, quàm illius, quem incerta caſuum, & frequentes belli atrocitates erudierunt.

Inter hęc noui terroris nonnihil increpuit. Fuentanus enim non modò de arce diruenda non cogitabat, ſed nouę turris fundamenta ponebat, quæ iter publicum obſeſſura eſſet, vt additamentum arci. Ad hanc auditionem omnis illa Rhætica multitudo expauit. Eaque res ad me repente delata eſt ab illis, quibus id negotij datum. His immiſti fuerunt quidam ex illis primoribus, qui, tempore tam turbido partem ſe Reipub. fecerant, ne dicam caput. Iſti vehementiùs mecum egerunt, vt ſuper Gallicis auxilijs ſibi mẽtem regis aperirem. Quos ego ſeriò admonui, vt quale illud Badenſe decretum fuerit, perpenderent. Quanti item ſint illa, quæ nuper Arouiæ à pagis proteſtantibus

acta ſunt, quàm languida, & ineffi-cacia, quàm parum idonea tanto re-gi in eam mentem impellendo, vt ipſe vnus, ad quem ex omnibus fœdera-tis hæc tota res minimè pertinet, præ-ſertim cùm nulla ſingulari iniuria la-ceſſitus ſit, bellum vltrò capeſſat; cùm illud fugiant ij, quibus propter vici-num malum, multa & maxima mala impendent. Ipſoſne æquum cenſere, vt ſuis ſumptibus, & ſuo potiſſimùm periculo rex alienum negotium, & rem tantam moliatur in regione tam longinqua, eaque ad quam aditus, non ſolùm ſunt perdifficiles, ſed pro-pemodum obſepti? Ipſum quidem, quamuis hanc aleam iactet, ſua ma-gnitudine ſubnixum ex omni pericu-lo emerſurum. Sed quo loco futuros Rhętos à conterminis amicis dereli-ctos, vicinis hoſtibus obiectos? Num eos rex per aliquod temerarium incœ-ptum belli neceſſitate implicatos ho-ſtili ſæuitiæ conculcandos relinquat?

audacter pronuntiat. Egone conſilia regis, & ſiquid fortè occultius parari neceſſe eſt, illis audientibus, eloquar? Vos quoque num ea quę agitatis, ab omnibus ſciri æquum putatis? Scilicet, vt quamprimùm ad eos emanent qui hac notitia in Reipub. perniciem abuti poſſunt? Talia quidem euulgari, ſanè eſt præueniri, & impediri. Id quod conſulentibus infauſtum, ſæpe luctuoſum negotium eſſe conſtat. Veſtrum ergo eſt, videre annon Reipub. expediat, nonnullos eligi bonitate, & ſapientia inclytos, quibus ſumma res committatur. Qua de re deliberatio etiam habetur, ab ore iſtorum nunquam effluat, donec promi eam, & ad communitates referri, vt conſilium impleatur, oporteat. Hoc meo conſilio vehementer approbato, rem ad complures detulerunt. Et cùm id ipſum paulòpoſt ad vniuerſos perlatum eſſet, de eligẽdis quindecim viris, quibus rerum ſumma tractanda, non

conſummanda crederetur, agi cœptum. Verùm cùm ex ijs, qui vt ei muneri ſuffecturi deſignarentur, nonnullos Hiſpanicæ factionis eſſe ſatis conſtaret, citò lapſa res eſt. Tunc omnes magnopere hortatus ſum, vt inteſtinę potiſſimùm concordiæ operam darent; & poſitis ſimultatibus, quæ illic inter multos publico malo acriùs exercentur, in commune conſulerent. In primis cum multitudine ſeriò agerent, ne quid auidiùs, quàm conſultiùs incœptatum iret.

Per id tempus rem Rhæticam eò loci prolapſam conſtitit, vt Rhætis facilius fuerit, è conſiliis quæ quiſque afferret, reiicienda repudiare, quàm ex omnibus vnum aliquod eligere, cuius ope reſpublica ſubleuari poſſet. Prudentiores hac via rem reputabant, Quibus ad ſe vlciſcendos, vires deſunt, his reſtare, vt quieti ſua cuſtodiant. Verùm illos ipſos, qui hoc cenſerent,

duæ ſententiæ adhuc diſtinebant, quarum vtra eſſet explicitior, non facilè dici poſſet. Si enim Rhæti quieſcant, quantum abeſt, vt non metu languere, & ſine vlla ſpe melioris conditionis iniuriæ conceſſiſſe dicantur? Hac quidem lentitudine Hiſpanum reddi ferociorem, & quodammodo prolectari ad inuolandum in Valtellinam defenſoribus vacuam; vbi ſuæ violentiæ omnia reperiat prona & peruia. At ſi arx arci opponatur, videri eum quodammodo prouocari ad certamen; certè omnem huius negotij tractationem, quæ adhuc vniuerſorum ſpem foueat, præcîdi. Adde quòd Fuentanus veteres ſuæ factionis populares promiſſis onerando confirmare, nouoſque ſibi pecunia aſciſcere pergebat. Iam ſperare audebat, Rhætis labefactis, poſſe ſe iiſdem rationibus Heluetios quatere, & illud fœdus Gallis adimere. Hanc eius ſpem Curienſes auxerunt. Nam Badenſe decretum

fœdus Gallicum diſertim exciperent. Necverò id fieri paterentur per ſcripturam à tergo exaratam, quas vocant literas reuerſales, ſed per ſingulare ſcriptum, & illi vnico negotio deſtinatum. Hoc ſcripto ea exceptio è rei dignitate, ac tam dilucidè expreſſa contineatur, vt omni obſcuritate, & verbis perplexabilibus amotis, ius regium eminere aſpiciatur. Hæc pronis auribus accepta, vſque eò, vt quæ communitates fœderi Gallico fauerent, harum nullam Badenſe decretum concuſſerit. Quæ res eorum primorum ſpem eluſit, qui poſt pittagum Curiæ remanſiſſent. Ab his enim illo ipſo die, eædem communitates literas acceperant, iis autoribus, qui bellum patriæ indixiſſent, in hoc ſcriptas, vt eas Badenſi decreto, velut ingenti fragore conterritas, à fœdere & amicitia Gallici nominis auocarent, & ad Hiſpanicam amplectendam traducerent. Tunc quoque excepta Fuentani vox

eſt, Si Rhæti, inquit, arcem noſtræ proximam extruere tentauerint, animus induci poteſt vt id feram. At ſi eis Galli adiutores fuerint, ſanè quid regis mei viribus effici poſſit, experiar. Ipſe quidem Fuentanus Badenſi decreto ferox, haudquaquam dubitabat, quin potiſſimam eius rationem Rhæti habituri eſſent. Hinc fore ſperabat, vt Rhætica gens regi terga verteret, ſeque in clientelam Hiſpaniæ regi commendaret, ſaltem eam ipſe adigeret ad faciendum fœdus ei ſimile, in quod quinque pagi ante aliquot annos cum Mediolanenſi ducatu conuenerant. Hiſpanicis hiſce deſtinatis in Heluetia & Rhætia efficiendis tunc quidem mendaciſſimi rumores diſſipabantur, quibus Fuentanus id ſe aſſequi poſſe ſperabat, vt, ſi quid ipſe aduerſus Rhætos cœptaret, non intuliſſe iniuriam, ſed illatam repuliſſe credi poſſet. Vſque eò & illi ipſi qui quidpiam iniquè moliuntur, ſuis deſtinatis infelicem exitum

augurantur, ſi non ea aliqua ſpecie iuris prætexunt. Huc pertinuerunt illa, quæ tunc vbique malignè vulgata ſocorditer credebantur. Viſas eſſe multas Gallicorum equitum turmas, quæ Alpibus propinquarent. In Heluetia interceptum fuiſſe tabellarium, qui à Bernenſibus literas ferret in Rhætiam, quibus Rhęti inducerentur ad occupandas Vrſellas. Talium ſatores vltro ſibi fingebant multiplices metus; qui vt veri haberentur, tria caſtella, quæ imminent Belinſonę, militum Heluetiorum pręſidio firmantur, volentibus, ſcilicet, tribus iis pagis, quorum Belinſona eſt. Id ita agebatur, perinde ac ſi ei oppido Rhæti inſidiarentur. Cùm veriùs metuendum eſſet Rhætis, ne à tot militibus, qui Belinſonæ præſidium agitarent, Mezaucum furto, aut impetu occuparetur. Hęc in illo Rhætiæ confinio. At in alia Rhætię parte maiora interim tentari cœpta. Cùm quicquid in Valtellina agebatur Fuentanus

ſo pretio venumdaretur. Hinc alij non belli rumores ibidem aduerſus eos omnes exorti, qui publica Rhętorum negotia curarent, vt quibus miſeriæ plebis quęſtui eſſent. Hanc proueditores ſeditionem rebellioni affinem interpretari. Acceſſit, quod Valtellinenſes, & Clauenenſes arma emere à proueditoribus iuſſi, id quoq; exequi neglexerant. Hinc ſuſpicio, eos maioris alicuius impulſu, cuius ope niterentur, tantum audaciæ promere. Fortè per eos dies coram Rhætico tribunali incolæ Morbinij de ea mercede, quæ miniſtro danda eſſet, & pauculi proteſtantes litigabant. Cùm Catholici litem perdidiſſent, Valtellinenſium Catholicorum animos ea res vehementiùs aſperauit. His, inquam, nouorum motuum exordiis Fuentanus fauere, eoſque fouere dicebatur, denique in omnem occaſionem intentus eſſe, qua Rhætos Valtellinæ poſſeſſione ſicuti iniuriis prouocatus deturbaret. Id

quod non tam ſuorum militum manibus, quàm accendendis Valtellinenſium & Clauenenſium in Rhætos odiis ſe conſequi poſſe ſperabat.

Per eoſdem dies ſingulæ communitates per ſuos nuntios ſuum ſuper Badenſi decreto decretum Curiam mittunt. Numeratis de more ſuffragiis, cognitum eſt, eas conſenſiſſe in confirmationem fœderis Mediolanenſis, dum ei diſertim adiiciatur exceptio vtriuſque fœderis Gallici & Veneti, & pactionum anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi. Has verò vſque eò vigere iubent, vt earum intuitu arx intra id tempus, quod ei rei dictũ fuerit, ſolo æquetur. Et hęc quidem Veneti fœderis exceptio ſanè tunc fuit documentum eius fidei, quam Rhætica illa multitudo ſeruari cum ſuis fœderatis cuperet. Verùm exceptiones nouis fœderibus primùm adſcriptæ fuerunt inuentum illorum primorum, qui hac ratione vetera peruertenda ſuſceperant.

rant. Scilicet ab iſtis hæ exceptiones obtentui ſumptæ, vt nihil non ſumma æquitate agi crederetur. His ductricibus inducta ſunt noua fœdera in violationem vetuſtiorum; licitè tamen, & ſalua, ſi eis crederes, fide, quæ hac infidelitate protegitur, hoc eſt, harum exceptionum interuentu. Quo fuco id actum eſt, vt omnibus fœderatis os ſublitum eſſet. Cæterùm omnes communitates regem orare ſtatuunt, vt ſuo permiſſu huic decreto locus eſſe poſſit. Tigurum mittitur vnus Rhæticorum procerum, qui de hoc decreto Senatum edoceat, eumque Rhæticæ Reipubl. nomine obſecret, vt vnà cum Bernenſibus impenſis precibus impetrent à rege, ne ſummo iure cum Rhætis agat, ſed de eo aliquid remittere velit; vt hoc, quod cenſetur inexplicabile negotium, pręter expectationem maleuolorum, tandem aliquando explicari, & confici poſſit. Verùm is, cui id negotij datum, man-

data communitatum corrupit, dum libidinem paucorum malæ mentis hominum earum decretis ſibi præferendam duxit, & ad improbiſſimum miniſterium improbam operam accommodare maluit, quàm vniuerſę Reipublicæ ſententiam Heluetiis ex fide referre. Ne multa, Priuſquam Senatus Tigurinus ſuo reſponſo ſuam de eo decreto ſententiam declaraſſet, iſte nomine Rhæticæ Reipublicę ab eo petere inſtitit, vt vterque Senatus Tigurinus & Bernenſis ſuis precibus impetrent à regia maieſtate, ſuadere communitatibus velit, vt nullius exceptionis additione Mediolanenſe fœdus ratum habeant. Quorum impulſu iſte tam nequiter in ea re verſaretur, hi fuerunt illi, quos dixi, pauci primores, omnium factionum homines, qui, poſtquam nuntij communitatum ad ſua rediiſſent, Curiæ remànſerant, vt decreto, & literis quò oporteret, ſcribendis adeſſent. Hi vt Hiſpano ope-

ram tam infamem nauarent, decretum communitatum ea audacia, quam dixi, primò interpolarunt. Deinde huic legato, qui cum ipſis eadem ſentiret, mandarunt, vt in Heluetia rem non ex decreto communitatum, ſed ex ipſorum libidine ageret. Hac deteſtabili fraude ad tantum regem iſti vulpiones graſſari, & in re tanta patriam improbè ludificari non ſunt veriti. Hôrum nominibus quòd hîc, & alibi abſtineo, non ipſis, qui omni infamia notari digni ſunt, ſed ipſorum poſteris, qui meliores fieri poſſunt, datum volo. Tigurini, pro ſua prudentia, huius impudentiſſimi poſtulati inſolentiam non ſatis mirari. Nempe qui viderent, peti à rege, vt ſuimet fœderis ipſe euerſor eſſet. Hominis tamen importunitate fatigati in eam ſententiam, vt is voluit, regi ſcribunt. Iſte, vbi Curiam rediit, ne quid deeſſet iis, quæ flagitiosè fecerat, atque vt mihi, & omnibus bonis inſigni mendacio

impenſiùs illuderet, hoc publicè, & priuatim retulit, Primò illos patres Tigurinos, viſo communitatum decreto, obſtupuiſſe. Verùm vbi ab ſe de cauſis decreti edocti fuerunt, tunc ipſis omnia probata. Ea re ſtatuiſſe literas ad regem dare, cuiuſmodi Communitates cuperent. Addit, de hoc negotio concilium gentis intra paucos dies Badæ habitum iri. Cæterùm illo ipſo die, quo iſte Curia diſceſſerat, ego ſuſcepta in Valtellinam profectione, dedi me in viam, & in eam itionem & reditionem octo dies conſumpſi. Statim vt Curiæ fui, redditæ mihi ſunt literæ, quibus omnis huius probroſæ actionis ſeriem cognoui, ad me miſſæ à viro ampliſſimo D. Commartino legato regis, qui eſſet in Heluetia. Hunc enim iſti illis ipſis improbiſſimis artibus circumuenire conati ſunt. Certè dum ego Curia abeſſem nomine Triumuirorum, Triumuiris abſentibus ad eum dantur literæ, com

poſitæ in vrbe Curia ab illa nefaria illorum, quos dixi, primorum factione. His literis Triumuiri maiorem in modum ab ipſo petunt, vt quas Tigurini Senatus literas regi inſcriptas ad ipſum miſſurus eſſet is, qui ab Rhętica Repub. Tigurinũ Senatum adiſſet, eas quamprimùm regi mitteret. Tãti enim rem eſſe. At is omnis huius improbitatis intelligens, Iam enim vnà cum meis literis, decretum communitatum acceperat, ad me, vtraſque literas, ita vti par fuit, miſit. Videlicet, hę omnes Hiſpanicæ factionis machinę in illud communitatum decretum tunc verſæ fuerunt, vt illud quaſſatum ſubruerent. Tunc homines probi & prudentes probarunt conſilium meum de horum ſcelere Reipub. non indicando. Si rem palàm feciſſem, eorumque nomina ad pittagum detuliſſem, homines audaciſſimi ſuę nequitię pœnas daturi erant. Sed, quòd tali rerum ſtatu, ſine magno motu id pœnæ expeti non

poterat, eos tunc quidem manere impunitos præſtitit, quàm luctuoſos in Republ. perturbata motus excitari. Paulò poſt conuentus vniuerſæ Heluetiæ Badæ habitus, quò mihi, graues ob cauſas, proficiſcendum duxi. Ibi, præſente regis, quemdixi, legato, cùm nuntiis pagorum proteſtantium rem omnem aperuiſſem; In primis, cùm Tigurinis, & Bernenſibus expoſuiſſem Communitates nullo inſtinctore, ſed ſuopte ingenio ea ſtatuiſſe quę decreto continerentur, omnes illico admiratio, & ſtupor inuaſit. Hinc quoque intelligere cœperunt, quàm non è re, nec Rhætica, nec Heluetica ſuperiora Badenſia decreta facta fuiſſent, quamque iis vtrique genti malè conſultum eſſet. Igitur, poſtquam rem inter ſe attentiùs agitarunt, palàm fecerunt, decreto cõmunitatum meritò exceptionem Gallici fœderis adiectam fuiſſe. Veneti nullam mentionem fecerunt. Eodem decreto Heluetici pagi tranſitus Al-

pium, qui Mediolanenſi fœdere continetur, ſe interpretes tulerunt. Pronuntiant, eum tranſitum non æquum eſſe pendere ab arbitrio pręfecti Mediolanenſis. Eius rei nullam in tabulis fœderis mentionem fieri, ſed Mediolanenſem ducatum ſolùm excipi oportere cenſent. Rhætis autores ſunt, vt non aliud ſpondeant, niſi hoc, ſe armatos obuiam ituros ei, qui per ſua ad eam regionem hoſtiliter accedat. Mediolanenſi item fœdere Helueticum fœdus excipi oportere cenſent. Quippe tandem, apertis oculis, aduerterant, & ipſis Heluetiis per illas Mediolanenſes pactiones aditum in Italiam obſeptum eſſe. Huius decreti legatus Hiſpanicus, qui Badæ eſſet, certior factus dixit, ſibi eſſe quod contradicat; nec ſe in ea quæ ibi acta eſſent, conſentire palàm teſtatus eſt.

Hoc negotio confecto, pagorum delectis, potiſſimùm Tigurinis, & Bernenſibus, nos regis legati palàm feci-

mus ipſorum prudentiam, & æquitatem, in iis, quæ ibi acta eſſent, libenter à nobis agnoſci. Et cum vtriſque de rebus Rhæticis vberiori ſermone inſtituto, Id eos ſcire voluimus, regem in hanc cauſam benignè collaturum ea, ad quorum præſtationem ex fœdere tenetur, atque adeò plura & maiora, dummodo aliis fœderatis idem animi ſit. His auditis, Se quoque ea dixerunt eſſe præſtaturos, quibus fides fieri poſſit, Rhętis in ſuo fœdere & amicitia plurimùm repoſitum eſſe. Verùm ſibi præ hoc animo Rhætis amiciſſimo eſſe modicas opes, & impares magno oneri aduerſus hoſtem potentiſſimum ſuſtinendo. Igitur ſpes omnes, atque opes eius militię ſiſti in rege. Quę ab ipſo inſtruentur auxilia, in his fore omne momentum. Quibus de rebus quò commodiùs ab omnibus in medium conſuli poſſit, ad vrbem Solodurum in diem decimum octauum Nouembris concilium indicunt. Eò vt Rhæti ſuos mit-

terent, admoniti ſunt.

Inter hæc Fuentanus quatuordecim maiores machinas, ſeu miſſilia ſubruendo muro tormenta in arcem imponit. Qua re audita, Griſęi fœde-:' communitates exarſerunt. Omnium habito conuentu, in eo decernitur, vt Clauenæ, & Valtellinę præſidium imponatur. Certè ſe & ſua, ſi alia ratione minùs queant, vi tueri ſtatuunt. Singulis eiuſdem fœderis communitatibus delectus indicitur, nempe ſua cuique cohors, ſeu vexillum. His adijciunt aliam cohortem, ſuper tria millia militum Valtellinenſium tuendis confinibus. Ad hæc exequenda duo mittuntur ad Triumuiros cum hoc mandato; Vt vniuerſæ gentis conuentum quamprimùm habeant; Dent operam, vt ſua decreta generali omnium communitatum decreto confirmentur. Quæ ſi Triumuiri negligant, ſe nihilominus rem ſuſceptam peracturas. Non his contentę, Tigurinos,

& Bernenſes per literas huius decreti certiores faciunt; & vtramque Rempub. ad huius expeditionis ſocietatem inuitant. Ad ea Tigurinus ſenatus, qui cenſeret, Rhętos euidentis periculi ſocios quærere, reſcripſit, Quieſſe melius fore, & his motibus ſuperſedere, vſque dum per eam tractationem, quę cum Fuentano inſtituta eſt, res definita ſit. Tunc etiam nuntij communitatum Curiam vndique conuenerunt. Cùm ab iſtis illa ipſa agitarentur, quæ Griſæis cómunitatibus placita eſſent, duo è primoribus, aliorum miſſu, ſiue eos priuati, ſiue publici periculi metus impelleret, ſiue hac ratione Mediolanenſi rei proſpectum vellent, omnibus precibus à me petere contenderunt, in pittagum vti venirem; & quantum conniti poſſem, illum conſeſſum à tam præcipiti, & immaturo conſilio deterrerem. Nimirum, huc multitudo impetu ferebatur, vt ferro ſibi viam in agrum Mediolanenſem faceret. Ne-

minem dicunt id autoritatis adeſſe, qui hoc tentare audeat præter vnum me. Ipſe qui cognitum haberem, ira multitudinem ad id facinus audendum impelli; certè nullo rerum neceſſariarum prouiſu eam expeditionem ſuſcipi; maximeque metuendum eſſe, ne qui aliena ab omnibus imparati, &, nullo idoneo ductore, infeſtatum irēt, propria amitterent; & eò pedem inferrent, vnde referri non poſſet; me rogantibus promptum, & facilem prębui. Huc eò promptiùs inclinabam, quòd cognoueram, ab Hiſpanica factione immiſſos fuiſſe quoſdam, qui leuiſſimi cuiuſque iras accenderent, & iratos inſuper efferarent. In primis id non de nihilo metui, ne rex, amicæ & fœderatæ gentis aliqua clade commotus, à ſuis conſilijs, quæ eſſent bonitatis & regiæ prudentiæ pleniſſima, periclitantibus opitulando recedere coactus omnem vim belli in ſe conuerteret. Sciebam & illud, inſtare conuen-

tum ad vrbem Solodurum, vnde ſciri propediem poſſet, quid Heluetij, qui ſe eò venturos dixerant, ſuper hoc Rhætico negotio ſententię eſſent; & quid inde opis expectandum foret. His rebus adductus enixè omnia feci, vt multitudinis iræ lenirentur, eamque à belli conſilijs tunc quidem auerterem. Nec tamen non intelligebam quantum negotij ſuſciperem, qui ab ea ſententia communitates deducere tentarem, quibus perſuaſum eſſet, quicquid quiſpiam contra afferret, id fieri arte, & impulſu primorum, qui meritò metuant, ne multitudinis armatę primum, & vnicum facinus ſit non vlla expeditio Mediolanenſis, ſed ſupplicium eorum qui improbiſſimis artibus iamdiu Rempub. ludificari pergunt. Mihi tunc tamen in eo quod agerem, obtemperatum eſt. Nam denique decretum ſequutum eſt ad hunc modum, Armis ſuperſedendum eſſe, donec ea tractatio, quæ cum Fuenta-

no cœpta eſſet, aliquo exitu terminaretur.

Me tunc duo ex illis primoribus, in quibus nihil eſſet ſynceri, laqueis inſidioſę interrogationis inuoluere tentarunt. Sciſcita tum ad me venerunt, Alijs fœderatis ceſſantibus, ecquid in rege ſit opis; Negaui mihi quicquam eſſe quod expromam, donec pagi proteſtantes quid ſententiæ ſint, palàm fecerint. Horum veteratorum hæc ars erat, vt ipſi, aut quos ipſi vellent, in Galliam legarentur, ab rege ſuæ genti rogatum auxilia. Quæ ſi impetrent, enimuero Fuentano locum relinqui nullum, quin de improuiſo finitimam Valtellinam ſub imperium regis Hiſpaniæ cogat. Si nihil auxiliorum inde ſit, tunc ipſi communitates edoceant, quàm fruſtra ſint, quæ inani ſpe Gallici auxilij nitantur. Proinde Rhætis, qui ſint ab omnibus derelicti, quid aliud reſtare, niſi vt in eas pactiones conueniant, in quas ab Hiſpano adigentur?

Iſti cùm artifice, & improba oratione; qui ipſis mos erat, pergerent, quaſi exprobrantes dicere, ſe à fœderatis in has miſerias fuiſſe proiectos, Vos ipſos, inquam, accuſate, qui non contenti antiquo fœdere tanti regis, & Heluetiorum, alijs fœderibus Rempub. impeditum iſtis. Cuius mali remedium nunc ei ſeruitutem obtrudītis. Qua certè vni huius calamitatis autores digni ſunt, non multitudo innocens, ac talis commercij neſcia. Hi illi ſunt, qui eius ſimplicitate tam verſutè, & improbè abutentes vniuerſis tot, tantaſque calamitates intulerunt.

Tunc nonnulli viri boni, & amantes Reipub. qui ſe tantæ impudentiæ, & improbitatis intolerantes ferrent, mihi autores eſſe non dubitarunt, vt, quod antea diſtuleram nunc opportuniùs aggrederer; & pittago eorum fraudationes aperirem, qui tot præſtigijs vniuerſos ductaſſent; qui Heluetios, ipſumque regem ſuæ ne-

quitiæ, & rei Hiſpanicæ promouendæ miniſtrum reddere tentaſſent. A quibus denique ne is quidem, qui ſit totus oculeus, ſibi caueat. Monſtra tam verſipellia vt eò decurrerem, commeruerant. Et horum pœna credibile erat, eos, qui ijſdem veſtigijs inſiſterent, admonitum iri vt reſipiſcerent. Verùm cùm reputaſſem, apud iratam, & concitatam multitudinem hinc fore initium alicuius promiſcuæ cædis, malui illis cogitandum relinquere, quanti eſſet id, quod ipſorum technas & malefacta cognita haberem, ac proindè in manu mea eſſet, tot ac talia flagitia Reipub. quandocunque opus eſſet, aperire. Ergo illos in metu eſſe expedire cenſui, Siquidem in metu eſt magna pars ſupplicij, quod quò longiùs extenditur, hoc lentius, & grauius eſt. Præſentibus tamen Triumuiris, & paucis alijs adhibitis, eæ literæ quę Soloduro, vt memoraui, ad me miſſæ fuiſſent, contrectatę, inſpectę,

perlectæ fuerunt; & omnis illa nequitia apud eos qui eius teſtes eſſe poſſent, in apertum prolata. Eæ literæ penes me ſunt.

Eodem tempore Fuentanus, qui ſuum de arce condenda conſilium ſibi tam proſperè ceſſiſſe gloriaretur, ea patientia prouocatus neſcio quid propugnaculi extruxit ad radices montis Sempronii in latere Inſubrię. De alio quoque propugnaculo extruendo agitare cœpit in ſummo quoddam colle, cui nomen Monticello, eminente in anguſtijs, & aditu Mezauci, haud longè à Belinſona. Eius collis etſi antiqua poſſeſſio Rhætorum eſt, tamen quinque pagos Fuentanus ſubdit, qui de eo Rhætis litem moueant. Nam ſi petitoribus id loci adiudicatum fuerit, horum permiſſu, ac ſtudijs ſe ibi arcem ędificaturum ſperat; quò Rhætis eum quoque aditum ad Mediolanum intercludat.

Per eos dies à Venetis alius ſecretarius

rius in eius locum, quem Venetias reuocatum dixi, ſubſtitutus in Rhætiam cùm veniſſet, nulla celebritate, nec à lætis exceptus eſt.

Tunc etiam à communitatibus de ſua in agrum Mediolanenſem expeditione rurſus actum. Pro pecunia quam non habent, dicunt, ibi abundè eſſe, quo ſuus miles opulenter agat. Recens hic populorum impetus qua ratione reprimi poſſet, à Triumuiris agitatum. Ad id Curiam conueniunt. Ibi ad me ventum. Rogant, & obſecrant, vt huic ardori multitudinis nunc quoque obuiam eam; ne ſe eò inconſultè conijciat, vnde exitus poteſt eſſe luctuoſus. Eorum ſtudiis obſequutus, & pittagum ingreſſus id dedi operam, vt eum conſeſſum auerterem ab impetu inconſulto. Sed eò flagrantia hominum ſtudia proceſſerant, vt is animorum impetus ſiſti non videretur poſſe. Quippe omnibus perſuaſum erat, nulla nec ratione, nec pactione

Fuentanum adduci poſſe vt arcem diſijciat. Quapropter id vnum vniuerſi agitabant, non quibus conditionibus hominem tam durum mollirent, ſed quibus eum viribus compeſcerent. Qui aliud ſuaderet, is de Rhætica Republica peſſimè mereri tunc eſt exiſtimatus. At illi primores, qui omnia euerſa cuperent, quò pluribus motibus patria concuteretur, quò minus conſilij in rerum adminiſtratione cernerẽt, hoc ſe tutiores, reſque ſuas meliori loco fore ſperabant. Hos & res anguſta domi, & accenſæ cupidines, & odium populi, ſiquid vſpiam turbidi eſſet, in eo ſpem ponere cogebat. Eorum adeò ſæpe voces auditę, malle ſe Hiſpanico dominatui ſubiici, quàm ingenium populi tam effrænis diutiùs ferre. Antea quidem ſatis conſtabat, nullam apud communitates Veneti fœderis excipiendi mentionem factam. At iſti, quorum ſtudia magis in Hiſpanum, quàm in Venetos erecta

eſſent, vt Fuentani in eas odium, & vltionis cupidinem intenderent, vulgò iactare cœperunt, Ad fidem, & exiſtimationem Rhæticæ gentis pertinere, vt Venetum fœdus Mediolanenſi tractatione excipiatur. Quibus vocibus adductæ communitates ei decreto, quod memoraui, eam exceptionem inſeri iuſſerant. Apparebat, inquam, his artibus id agi, vt Rhætis Hiſpanus implacabiliùs iraſceretur; &, omni tractationis, & concordiæ mentione abiecta, eos Valtellina pelleret. Id quoque iſtis exploratum erat, vix Heluetios, nempe Catholicos in hanc exceptionem conſenſuros; & idcirco Rhætis languidiùs eſſe conſulturos. Tunc quoque certiſſimis argumentis cognitum eſt, illa Badenſia decreta, quæ Hiſpano fauerent, non magis quinque pagorum ſtudijs talia fuiſſe, quàm improbis eorum Rhætorum artibus, quibus tunc legationes ad Heluetios dari ſolitæ. Inter quæ Veneti

fœderis autores dicere, ſi eius exceptionis intuitu nullæ pactiones cum Hiſpano fieri poſſent, eò Venetam Rempub. Rhætorum cauſam animoſiùs eſſe propugnaturam. Id quod quàm inane eſſet, Venetus ſecretarius ſciri voluit, cùm eos longè falli dixit, qui crederent, Rhætos Venetijs tanti eſſe, vt ipſorum cauſa pacem Italiæ Venetus ſenatus conturbare ſuſtineat.

Cùm Rhætica multitudo Clauenæ, & Valtellinæ validum præſidium rurſus impoſitura videretur, illi ipſi primores quibus Hiſpanica res curæ eſſet, hoc conſilium irritum ſolitis ſibi ambagibus reddiderunt. Ac ne tunc quidem aliud actum, quàm ſcriptum proueditoribus, in turribus, alijſque locis editioribus vigiles vti collocentur; & vbique cuſtodes diſponantur. Perinde ac ſi ea cura, nulla ibi valida manu collocata, ijs locis tutandis, & cohibendo, ſi ingrueret, hoſti, non potiùs irritando idonea eſſet.

Locus monet, vt quinam eſſent illi primores, quorum hîc frequens mentio, tradam. Fuerunt ferè duodecim, aut paulò plures in ijs familijs nati, quę ibi notæ magis, quàm nobiles. Hi publicorum negotiorum curam ad ſe vltro receperant, multitudine id vſque eò tolerante, vt denique non eius conſilijs aut ſtudiis, ſed arbitrio iſtorum potiſſima agerentur. Nonnullis aderat ingenium, quod bonum diceres, ſi non artes fallendi acceſſiſſent. Sed difficile dictu, quàm eſſent & auidi & venales. Cuius mali originem qui exquirat, hãc reperiet. Horum non dico aui, & proaui, ſed ipſi patres, ne quid longius accerſatur, quorum memoria etiam nũc apud pleroſque viget, vel ſola patriæ ſuæ ſpecie ſcopuloſa & horrida commonefacti parco, & parabili victu ad implenda naturę deſideria defungebantur. Syluam, & montanas pinus ſuis quiſque manibus, & valida bipenni ſternebat, glebas, ſicubi inter

loca ſcopuloſa aruum eſſet, ligone vertebat. Manè armentum ad paſcua, veſperi domum propellebat. Lacte caſeo, pane hordeaceo, petaſone, arborum, & hortorum ſpoliis veſcebantur. Eodem cultu, & iiſdem alimentis herus & familiares vtebantur, vix vllo diſcrimine. Si à penatibus longiuſculè, velut ad proximum mercatum, eumdum eſſet, qui pedibus ingrederentur, non equos conſcendebant, non popinas inibant peregrinantibus, non incolis inuentas, ſed in ſacculo, aut pera ſuccidiam, pernamue fumoſam, aut fruſtum caſei geſtabant. Hæ ipſis epulæ, quoties veſcerentur ſub vmbra arboris ramoſæ, aut apud fontem, cuius hauſtibus ſitim in itinere conceptam ſedare conſuerant. Veſtitus conſimilis. In mapalibus plerunque degebant iuxta pecus quiſque ſuum. Verùm ſub paupere tecto ipſis hoſpites, & comites erant ſimplicitas, & innocentia, eminentia populorum

bona. Nondum ſciebant fœdera licitari, nondum Alpium ſuarum tranſitus quanti ſint, iudicabant. Siquid cuipiam promitterent, id erat irreuocabile. Fœdera antiqua non cumulabant nouis; quæ cùm inter ſe arietare neceſſe ſit, inde iſti tot fœderatos, quod in ſe eſt, committunt. Non hic, aut ille ſua factione potens quemquam inualidiorem conterebat. Non noua iſta, & fallaci ſapientia captabatur ſimplicitas multitudinis, non ſacerdotum, & miniſtrorum. Nullis diſcordijs, nullis item ſeditionibus Reſpub. quaſſata diſijciebatur. Concordes agitabant, dum opulentiori nemo inuidebat. Nemo alienis facultatibus inhiabat. Reculam quiſque ſuam paruo contentus poſſidebat. Si fortè quiſpiam extra patriam militando equeſtribus inſignijs alicubi donatus gloriæ domeſticæ aliquid addidiſſet, ſi quid ei militia retuliſſet, non ideo ferociùs agebat, aut luxurioſiùs epula-

batur,ſed militari,atque adeò ruſticana quadam lautitia, nec ſe ſuper cæterorum æqualitatem efferens iucundè cum omnibus agebat.Has artes, luculentam hæreditatem, liberis, & poſteritati tradebant. Rudes erant, & inculti,ſed boni ac ſtrenui.Indiſerti,ſed non bilingues, & fraudulenti. Ruſticè veſtiti, ſed nobiliter animati. At iſti, verſis moribus, &, afflicta maiorum diſciplina, certè ab eorum inſtitutis diuerſi, ſemper praui, nũquam induſtrij grandia incedebant.Non patres ruſticos,ac ſyluicolas reſpiciebãt,ſed ſe nobiles ferebant.Vt hinc cenſerentur, aliquantam partem eius luxus,quem in exteris gentibus quandoque conſpexerant, in ſuas perſonas,lareſq; domeſticos tranſtulerant. Eius rei ſpecimen conſpiciebatur in equis, veſte, epulis,intemperantiſſimis perpotationibus, tum in illo paratu, quem egeſtas ambitioſa, ſimia opulentiæ vſurpare non veretur. His enim rebus non latifundia,non an-

nui redditus,non vllũ fœnus,non mercatura ſumptus ſuggerebat, ſed artes improbiſſimę.Nam qui remRhęticam in ſua manu ſitã eſſe credi vellent,omnibus negotiis intererant,iis pręſertim quæ Rhæticæ genti cum exteris eſſent. Hîcverò luctuoſis experimẽtis cognitum,illos priuato vſui ſemper poſtpoſuiſſe bonum publicum.Principum legatos, qui minùs eos noſſent, argento emungere iſtis vnica cura,imò ludus, iocuſque fuit. Siquid ratum, tranſactum, firmum haberetur, iſti toti in ſuas artes verſi quibus rationibus conuelli poſſet, reperiebant. Cæcis muneribus ſemel quaſſata fides vaneſcebat. Si quid ab ſe inuncari poſſe ſperarent, hactenus fideles, ac ſeduli. Acceptorum memoria quamprimùm defluebat. Si data non perpetuarentur, datori cornua obuertebant. Siquid cuipiam negaretur, hoc ſolùm meminerant. Ad aliam rapinam erecti, aliò ſuas pollicitationes magni æſtimatas

vertebant. Eorum ipſorum qui firmi viderentur, firmitudo perennibus donis fulcienda erat. Gratis officioſum eſſe, vęcordiam ducebant. Ex hac matrice nuperrimè prodierunt noua fœdera, Venetum, & Veneto prognatum Mediolanenſe, quorum vtrumque vſque adhuc Rhæticæ genti ferale fuit. Hæc iſtis erat prompta materies, & magna opportunitas manubiarum ſuarum. Quam tranſitus facultatem, quoſque militum delectus regi Chriſtianiſſimo iſti ex fœdere promiſerunt, hæc ipſa Venetę Reip. paulò poſt vendunt. Vix huius fœderis ſolennia peracta ſunt, cùm ſe Mediolanenſi tractatione ad illa ipſa Hiſpano præſtanda obſtringunt. Vbi hi potentiſſimi reges, & illa inclyta Reſpublica ſua & aliena fœdera legerunt, horum artes continuò intellexerunt. Et nullus quidem huius tanti, taliſque ternionis, ne & hîc Heluetios memorem, non ea mente agit, vt ius ſibi ſuo

fœdere quæſitum, pro ſua animi magnitudine, proque ſuis viribus, & potentia, tueri non ſit paratus. Hinc inter concordia alioquin, & amica imperia eorumque miniſtros non ſanè belle concertationes; atque vtinam non aliquando futura ſulphurata alicui incendio. Iſti tamen admirabiles artifices tenent, qua ratione iſta, ſi Diis placet, concilient, & res diuerſiſſimas copulent. Singulis fœderibus exceptiones additas dicunt, quibus pariter cauetur omnibus. Quæ quàm irriſoriè, & improbè dicantur, infra vberiùs exponam, vbi ſpeciatim agam de fœdere Veneto. Res eſt manifeſta, omnes fœderatos hiſce dolis deludi. Nimirum iſti hoc pacto ſciri voluerunt, quàm probi, proh facinus! opifices eſſent fœderum faciendorum, & eorumdem verſutis interpretationibus corrumpendorum; potiſſimùm ludificandi illam multitudinem Rhæticam, non ſanè tam rudis, & inconditi ſenſus, vt

non iuris & æqui ſit intelligens, ſi quis ei bene monſtraret; nec eius ſimplicitate ad tantam malitiam abuſi eſſent iſti, qui eam ſuis prauis conſiliis conflictandam ſuſcepiſſent. Quod ſiquis ibi dicere auderet, id quod vni alicui promiſſum fuerit, aliis promitti non poſſe, in promptu illis hoc reſponſum fuit, Homines liberos omnia poſſe, & in ſua Republica, ſuiſque rebus omnia ſibi licere. Qui aliter ſentiat, qui hanc infidelitatem deteſtetur, ab hoc Rhęticam libertatem minui indignabundi querebantur. Scilicet, libertatem putabant eſſe licentiam quicquid cuilibet collibitum fuerit, agendi contra ius & fas, contra omnium hominum conſuetudines, nullo Dei metu, nulla humana verecundia. Qui morbus tam peſtilens illic plures corripuit, quàm vniuerſis expedit. Et iſti quidem tam probi architecti, quò ſuas fraudes hominum mentibus faciliùs inſtillarent, nequaquam diffitebantur

ſe eſſe diuerſarum factionum, vt ex hac ſaltem electione fides erga electū præſumi poſſet. Quippe hic apertè Gallum, ille Venetos, alij, quanquam occultiores, Hiſpanum fouebant. Quiſque in eam partem inclinabat, ex qua locupletior fieri poſſet, Republ. poſthabita, & omni ludibrij genere conflictata. Hanc omnem nequitiam cùm tanta rerum inſtabilitas quotidie proderet, deque ea ſatis communitatibus compertum eſſet, eò vehementiùs ad arma concurrere paratæ erant, vt, antequam hoſtem, ſiquis exſtaret, vlciſcerentur, pro meritis animaduerterent in iſtos, qui Rempub. è tranquillo in tot ſcopulos intuliſſent.

Tunc quoque ſatis conſtitit, ea, quæ nuper Soloduri ſuper negotio Rhætico decreta fuiſſent, non eſſe tanti, vt in iis vllum Rhætis momentum eſſet. Omnium fœderatorum hæc videbatur eſſe ſententia, Rhætos non tam opus habere valido auxilio,

quàm egentes eſſe boni conſilij, eius, cuius finis, & exitus eſſet quies & ſecuritas gentis.

Cùm huius Rhętici negotij finis eſſet nullus, & Rhætis exigua in vicinis fœderatis, aut nulla ſpes eſſet; atque adeò cùm hæc omnium tam odioſa cunctatio regis opem morari iam omnibus compertum eſſet, cùm denique prudentiſſimus quiſque Rhætis timeret ſubminiſtrare vires & opes, quibus in ſuam perniciem abuterentur, communitates, quę quererentur pericula ſua ab amicis, & fœderatis deſeri, magno animorum ardore recurrunt ad illud ſuum, hanc controuerſiam armis eſſe dirimendam. De hoc ſuo poſtremo, & irreuocabili, vt aiebant, decreto ad omnes Helueticos pagos literas dant, ad eum ferme modum, quo fieri proteſtationes, quas vocant, ſolent. Ad hoc negotium tres nuntios Badam mittunt. Hi rem mandatam tunc quidem & fideliter, &, quantum

in ipſis fuit, feliciter curarunt. Certè perfecerunt, vt quatuor pagi proteſtantes, quibus acceſſerunt Solodurum & Friburgum, communitatum decreto, de quo ſupra dixi, iterum lecto, & attentiùs conſiderato, illud ſummopere commendarint. A cæteris pagis decretum non quidem improbatum, aut reiectum fuit, ſed intelligi voluerunt, ſe, quominus huic negotio promouendo fautores eſſent, iis damnis deterreri, quæ bellum ex ſeſe gignit. Vix enim ſine belli meditamentis quemquam ad Rhætos ſubleuandos accingi poſſe. Denique in illo vniuerſæ Heluetiæ conuentu Mediolanenſe fœdus apertè, & animosè reiectum hactenus fuit, vt Rhætos iure niti ibi omnes cenſuerint; quanquam nullo fructu. Quippe ad poſtremum, Heluetici Senatus verbis ab legato Hiſpaniæ quæſitum eſt, Annon Fuentano in animo eſſet mollire illam duritiem pactionum Mediolanenſium,

Annon is æquis pactionibus arcem demoliturus eſſet. At is prompto reſponſo omnes perculit, Neque de pactionibus quicquam detrahi poſſe, nec arcem deſtructum iri. Hic illius tam longæ, tamque difficilis tractationis terminus fuit. Qua re ad communitates perlata, vniuerſis compertum fuit, Fuentanum à ſua pertinacia deduci non poſſe, & Heluetiis nihil nec languidius, nec frigidius eſſe. Quapropter bellum apertum rurſus meditatæ quoſdam publicis negotiis admouerunt, quorum ipſis probitas, & fides perſpecta eſſet. Hos vocarunt confidentes communitatum. Qui bellum fieri iubebant, quæ fuit omnis prope Rhætica multitudo, palàm Heluetios accuſare ceſſationis, ac damnoſæ tarditatis. Qui natura cunctatores, niſi vltimæ neceſſitatis coactu, vix vlli ſerio negotio manus admoueant. Sequi ſolere eos, ſiquis præeat; ducere, ac præire vix vnquam.

Eius

Eius rei experimentum fuiſſe eam pugnam, quam ſui maiores cum Maximiliano Primo imperatore, nullis tunc ſociis proſpero euentu pugnarint. Heluetios enim, qui ſe Rhætis auxilio venturos polliciti eſſent, cùm ad manus ventum eſt, non vltra Tauoſium progreſſos. Simili nunc omine rem actum iri. Incœpto ſolùm opus eſſe. Vbi arma ſua ſemel concrepuerint, Heluetios, quamquam lentam materiam, quà ipſi præceſſerint, ſequuturos. Huc vniuerſi hoc promptiùs, & ferociùs feruntur, quòd nonnullas Hiſpanorum militum cohortes ad Rhætiæ confinia propiùs acceſſiſſe iiſdem diebus nuntiatum. Nullo ampliùs monitu communitates cohiberi, quominus animo morem gerant, poſſunt. Eorum tamen, qui plus ſapere, quàm vulgus, crederentur, oratu eas admonui, ne quid impetu cœptarent; præcipitata conſilia cohiberent; ita vindictæ ſuæ conſulerent, ſi priùs ſe-

curitati proſpexiſſent. Denique per illos, quos dixi, confidentes impetraui, vt hiſce deſtinatis aliqua ſaltem mora produceretur. Ne tamen propter tot repentinos motus, tamque frequentes de Repub. conſultationes, vſque adhuc irritas vicinis inuiſoribus & inſidiatoribus ſuis in contemptionem venirent, decernunt vt duodecim vexillariorum cohortes mittantur trans Alpes iis locis præſidio, quæ hoſti proxima ſint; nimirum, vexilla ſex Valtellinæ, Mezauco totidem. Nec bellũ id,nec item tota pax dici poterat.

Paulò poſt regij apud Heluetios legati, Tigurinorum item,& Bernenſiũ ac Rhętorum legatorum inuitatu profectus ſum Arouiam, vt ei conuentui intereſſem.Ibi inter nos regios, ac Tigurinorum & Bernenſium legatos multa ſuper iis auxiliis, quæ vterque pagus Rhætis miſſurus eſſet, agitata. Qua de re cùm nihil certi ſtatui potuiſſet, id negotium tranſlatum eſt in

diem nonam Martij, quam ad diem memorati pagi eò ſuos legatos cum ſuis decretis miſſuri erant.

Per eoſdem dies cùm Fuentanus, vt ſupra cœpi dicere, tres Heluetiorum cohortes Belinſonæ impoſuiſſet, paulò poſt multam materiam ædificando neceſſariam in eam inſulã, in qua olim turris fuerat, cõportari iuſſit, ſeu Rhętis ea ratione ad præcipitia vehementiùs impellendis; ſiue ei terrori multiplicando, quem eis ab ſe quotidie incuti vellet. Re audita, eò promptiùs à pittago decernitur, vt eæ, quas dixi, cohortes ad loca arci proxima quamprimùm ducerentur.

Ab eodem pittago tres legati miſſi ſunt ad regem, qui tunc erat Sedani. Sine vllo aulico faſtu, aut mora admiſſi, multa comitate excepti, auditi, & benignè dimiſſi fuerunt. Hi, vbi Curiam redierunt, à me continuò ſunt admoniti, ne quid eorum, quæ inde referrent, vulgarent. Nec enim ęquum

eſſe, earum rerum, de quibus etiam conſulitur, aliquam dari notam, quæ permanare poſſit ad maleuolos & hoſtes. Hęc fuit origo illius ordinis, qui tunc ex omni numero lectus; cui nomen inditum conſilium ſecretum; cuius inſtituendi hę fuerunt cauſæ, quæ tunc ſcripto comprehenſæ miſſæ fuerunt ad eos, qui rem vniuerſis tam ſalutarem apud Communitates promouere poterant. Hę infra ſunt poſitæ.

I Nulla Reſpublica ſine publico conſilio, ſiue Senatu diu ſtare poteſt.

II Publicum Rhętiæ conſilium nuſquam eſt, Non apud eos triumuiros, quibus nomen capitibus. His enim nulla datur poteſtas iubendi, vetandi, puniendi, remunerandi. Non penes eos nuntios, qui miſſu cõmunitatum ſæpe conueniunt; cui concilio nomen eſt pittagum, cuius omne munus paucorum dierum ſpatio, & vno, aut

altero negotio definiendo, & perangustis mandati finibus circumſcribitur. Nuſquam ergo eminet illa ſumma poteſtas, cuius eſt, cùm omni tempore, tum maximè circumlatrantibus vndique periculis, Rempub. in tuto ſiſtere.

Quin, ſiquid noui accidit, de quo, III
vbi innotuerit, ad conſilium referri opus ſit, de eo aut tumultuosè conſulitur; aut certè priuſquam hi Triumuiri coierint, & à tot diſperſæ gentis conciliis quidpiam certi retulerint, omnis ſcilicet, rei gerendæ occaſio interciderit. Enimuero ſtabiliendæ Reipub. momenta ſi ſemel effluxerint, conſtat eſſe irremeabilia. Huc accedit,
quod nexus ille rerum, qui ſub vno aſ- IIII
pectu poſitus præbet multam facilitatem ſtatuendi, & ordinandi ſequentia è cognitione antecedentium hac ratione præciditur. Siquidem non alij quàm ignari eorum, quæ in præteritis conſeſſibus acta ſunt, mittuntur ad ea

decernenda, quæ ij multò prudentiùs, & vtiliùs tractarent, qui præterita decreuerunt. Certè dum æqualitati conſulitur, lumen, quod homini prudenti è pręcedentibus præferri debet, extinguitur. Hinc multa perperam decerni manifeſtum eſt, quæ ſemel admiſſa defleri magis quàm emendari poſſunt. Non ergo mirum, ſi bona conſilia iacent, ſi omnia confuſio amplectitur, dum ſumma poteſtas, ſicuti gladius in vagina, nuſquam ſeſe exerit, ſed eò deprehenditur inualidior, quòd diſpergitur in vniuerſos, in quibus ipſis parum eſt autoritatis, dum omnibus omnia licent; neque quiſquam veretur peſſimè Rempub. agitare. Quod malum ſiſti non poteſt, niſi ope eius Senatus, in quem collecta ſumma poteſtas quanto vniuerſis præſidio, tanto improbis terrori ſit.

V Quo animo cenſes eſſe bonos ac ſtrenuos viros, vbi nullum inter be-

nefacta & malefacta diſcrimen eſt? Vbi turbatores publicæ rei ſunt præcipuo loco? Quod ſi vniuerſę gentis conſilium extaret, vt bonos ſecuritas, & ex benefactis laus ſequeretur, ita paucorum improborum ſupplicia irent in exemplum cęterorum. Reſpublica, quæ nunc laborat, ac propemodum collapſa iacet, egregiè ſtaret. Ad hanc felicitatem multitudo niſi ductore Senatu, ne niti quidem poteſt.

Rhætica Reſpub. corpus per ſe non inualidum languet, quòd huic corpori nullum caput hæret, hoc eſt, nullo ſeniorum, & prudentiorum conſilio ręgitur. Dum enim ſingulæ communitates eorum tantùm, quæ ſua ſunt, ſatagunt, & quidem ſeorſim à cæteris, omnium ſecuritas & commoda deſeruntur; totumque illud corpus, cuius communitates membra ſunt, titubabit, donec ſummi ac perpetui ſenatus autoritate ſolidetur. VI

VII Quis eſt ille mortalium, qui hodie audeat agitare conſilia cum Rhætis, & apud eos expromere quidpiam ſerij, & arcani, apud quos nihil eſt tam reconditum, quod non continuò diſpaleſcat? Apud quos diuerſiſſimis ſententiis homines omnia pariter excipiunt? Ex his nonnullos vitium curioſitatis eò impellit, vt totum negotium eludant; alios vt omnem rem ad maleuolos deferant. Ergo extare ſenatus debet, apud quem quicquid ad regimen rerum, & ad vniuerſos propugnandos pertinet, tutò deponi poſſit.

VIII Ridiculè metuas, ne hi, ſiue conſiliarij, ſiue ſenatores ſenſim euadant tyranni. Id modò date operam, vt è bonis edecumentur optimi, è paucis prudentioribus prudentiſſimi. Hi quidem nullis inuidioſis opibus ſubnixi, nec vllis arcium receptaculis abditi, nec ſatellitiò formidabiles, ſed ſola benefaciendi laude conſpicui omni ope id agent, vt

vniuerſæ gentis fauorem feliciter experiantur. Certè in eius poteſtate ſemper futuri ſunt, nedum vt vlli tyrannidi fautores, aut promotores ſint. Eius potiùs oſores acerrimi Rhæticam libertatem fortiter propugnabunt. Si quis horum à recta via aberrauerit, in hunc cur non ab alijs ſeuerè animaduertatur?

Hiſce conſiliariis æquum eſt, de publico ſtipendium procedere, quod eis ad vitam honeſtè tolerandam ſatis eſſe poſſit. Quo ſanè ſtipendio releuabuntur ſumptus illi, quos, vndecunq; ſint, frequentiſſimè fieri neceſſe eſt in itiones & reditiones ex ijs locis, in quibus vſque adhuc opera luſa veriùs eſt quàm poſita.

Circumſpicite alias Reſpublicas. Nullam aduertetis, quæ non nitatur eo conſilio, quod ibi eſt columen, & præſidium rei.

His, ac talibus, quæ & præſens neceſſitas, & ſua cuique prudentia ſubii-

ceret, diligentiùs perpenſis, ſequuta eſt electio eius conſilij, in quod omnis publicæ rei adminiſtratio collata fuit, cum hac exceptione, ne inconſultu communitatum bellum iubeat, ne pacem; ne fœdera faciat; Ne quid quod ſit publici iuris vendat, & abalienet; Nemo item in eum ordinem aſſumatur, qui non iudicio legati regis probatus ſit. Quæ conditio ibi nequicquam adiecta; cùm mihi tunc quidem vix quiſquam probè notus eſſe poſſet.

Per eoſdem dies, quòd eius conſilij conſeſſus Tuſij, ſiue Toſanæ futurus eſſet, relicta Curia, eò habitatum iui. Ne quid hîc dicam de ſiniſteritate eorum, qui Curiæ tunc largiter poſſent. Hi quidem vt ſe Fuentano magis, magiſque probarent, vrbanam plebem in nomen Gallicum in dies accendebant. Quos inter diutiùs verſari, à mei muneris dignitate alienum duxi.

Eodem tempore Tigurini ac Ber-

nenſes, vti polliciti fuerant, Rhæticis legatis quos è regis aula rediiſſe dixi, reſponſum, arrectis vniuerſorum animis, & auribus expectatum dederunt in hunc modum, Rhætis nos quidem ſumus autores, ne armis contendant. Enimuero legatos ea res, quominus expectata eſſet, vt improuiſus turbo, atrociùs perculit. Certè dixerunt, ſibi conſilium, quod non peterent, dari: Auxilij quod peterent, totam mentionem ſilentio tramitti. Num maius aliquod dedecus, inquiunt, maiuſúe periculum omnibus iis, qui liberi dicimur, expectatur? Annon illa arx, quæ Rhætis imminet, Rhætorum vicinis infanda minitatur? Si vna vos commouere non potis eſt, quid tunc conſilij capturi eſtis, cùm aliæ pluribus locis aſpicientur? Nam iſto quidem torpore communis hoſtis ad alias exædificandas inuitatur. Cęterùm ſatis conſtat, nunquam quicquam æqui à Fuentano pactionibus impetratum

iri. Metus ei faciendus, & vis oſtentanda. Hæc vna hominem tanta ſuperbia & iniuſtitia, ſubmiſſiorem, & æquiorem reddet. Hanc ſaltem viriumoſtentationem, ſi non earum experimentum, ſe à vicinis fœderatis expectaſſe dicunt. Sed quàm falſi fuerint, nunc demum intelligere. Hæc Rhæti. At illi ſua decreta pluribus rationibus confirmare inſtiterunt. Poſtremò, ne prorſus irritos dimitterent, dixerunt, ſe Rhætis miſſuros duas militum cohortes, quibus tertiam ſtipendij partem ipſi ſuppeditaturi ſint; adiectis tamen quibuſdam conditionibus, quarum occaſiones cùm iam dilapſæ eſſent, rem totam irritam reddebant. Percōtantur legatos, Reliquam eius ſtipendij partem ecquis militi ſuo miſſurus ſit. Addunt, ſi quo maiori damno Rhæti afficiantur, ſe eis, vel diſpendio fortunarum, & ſanguinis adfuturos. Hæc Rhæti non reſponſa, ſed ludibria interpretati, apertè ſuam credendi te-

meritatem increpare, qui res ab ijs expectaſſent, à quibus nihil niſi verborum ambages acciperent. Huccine recidiſſe tot legationes, tot in Heluetiam profectiones, eamque ſummam ſocialis auxilij expectationem, qua per totum biennium nos ſuſpenſos habuerunt? Scilicet, cùm hoſtis Clauenam & Valtellinam nobis ademerit, tunc noſtri auxiliatores aduenient. An, vt hoc tam luculento beneficio gentem noſtram deuincirent, nos tamdiu ſibi ſupplices eſſe dura illa corda pati potuerunt? Hęc in Rhætia. Glaronenſes, qui pagus à Rhætis haud longo diſtat interuallo, eſtque fœderi Griſæo ſingularibus pactionibus adſtrictus, animoſiùs cum Rhætis agere auſi, ſuum ſe ſanguinem, & ſua omnia Rhætorum ſaluti ex fœdere condonaturos profeſſi ſunt; addito tamen ſe eſſe pauperes. Ideoque potiſſimam opem ab rege expectari. Vnde cognitum eſt, omnes Heluetios ſi armis certandum

foret, tunc ea via hoc Rhęticum negotium reputaſſe, perinde ac ſi non ſuæ, & ſociorum incolumitati, ſed vni regi omnes militaturi pariter eſſent. Nec enim tam ſuà pericula circumſpectabant, quàm ſibi in conſilia ac deſtinata regis inquirendum cenſebant. Et quidem eorum conſuetudinis eſt, ſiquid fieri, aut non fieri ipſorum maximè, regis minimùm interſit, interſit tamen, regem vti omnes aſpectent; omni ſe onere alleuari, totum pondus in regem inclinari ęquum cenſeant.

Creatio conſilij ſecreti Fuentanum hactenus penetrauit, vt eos metuere cœperit, quos antea, vt iniuriæ opportunos, contempſerat. Acriùs agit cum iis, qui in Heluetia ſuæ factionis populares eſſent, vt inde literę ad Rhętos dentur tantùm non minaces. Iis certè literis Heluetii, quæſita verborum aſperitate, Rhætos monent, ne quid vi agendum ſuſcipiant.

Cæterùm quod dixi, decretum com-

munitatum pagis fuiſſe probatum, verum eſt. Sed id poſtea Friburgenſes immutarunt. Palàm enim dixerunt, ſe in ea ſententia nunquam fuiſſe: & Badenſem ſcribam id præter mentem ſuam ei decreto addidiſſe. Certè, dum eum ſcribam, qui haberetur vir bonus, inſimularunt falſi, creditum eſt, eos Fuentano; & quinque pagis abblandiri voluiſſe.

Per id tempus, cùm ad Engadinenſes inferiores, quę eſt vna Rhæticarum communitatum, allatum eſſet, in Tyrolenſi comitatu eorum omnium, qui per ætatem arma ferre poſſent, recenſionem eſſe factam, veriti ne eæ copiæ ad libita Fuentani aduerſum ſe compararentur, ipſi quoque ſuos milites recenſuerunt, qui pluſquàm duo millia fuiſſe dicebantur. Id vbi Oenoponti reſcitum, Tyrolenſes itidem metus inuaſit, nequid in conlimitiis Engadinenſes noui auderent. Idcirco nomine Maximiliani Archiducis illò mit-

tuntur qui homines moneant, ne quieta turbent. Ab Archiduce pacem ſemper fore immotam. In primis, ne quid aduerſus antiqua fœdera nouatum eant. Mitia verba neſcio quo munere ſalis, & alia benignitate cumulata fuiſſe rumor erat.

Rhætici legati, qui è Gallia redierant apud conſilium ſecretum ſuam legationem renunciarunt. Ibi quædam decreta facta in hanc ſententiam, Vt in harum turbarum autores legibus vindicetur. Itinera neceſſariis præſidiis firmentur. Eorum, qui milites eſſe poſſunt, delectus habeatur. Hi deſcripti in cohortes, ita vt expleant numerum nouem millium, in omnes occaſiones præſto ſint.

Vix hæc Tuſij acta, cùm ad ſingulos conſiliarios à Veneto ſecretario literæ perferuntur, quibus euocat eos ad ſe, cogniturosquod è re cuiuſque maximè ſit. Diceres, compoſito id actum, vt conſilium diſturbaretur. Iſti quidem

dem afflati odore pecuniæ Curiam, vbi is ſecretarius tunc eſſet, aduolant. Vt adfuerunt coram, is mandatum ſibi à Veneto ſenatu dicit, vt duodecim capitaneatus, quos vocant, hoc eſt, cohortium præfecturas diſtribuat. Ipſos ab ſe dignos exiſtimatos, quibus hoc beneficium detur. Hæc dicebat, delectu non modò non impetrato, ſed ne petito quidem. Id quod ibi tunc & nouum & mirum. Certè quos delectus rex etſi ex fœdere debitos, deſiderat, tam verecunda, & modeſta ratione petit, vt libero fœderatorum arbitrio relictum videatur, eos concedant, necne. Qui reſpectus hoc petenti præſtat, vt amicitiæ id quod petitur conceſſum videri poſſit, veriùs quàm iure imperatum. Porrò concedenti is honos habitus reddit petitum militem per omnia non mercenario, ſed gratia comparato ſimilem, tum alacritate, & fidelitate commendatiorem. Hęc eſt regum Chriſtianiſſimorum

& fortiſſimę gentis fœderatæ vetus, & honeſtiſſima conſuetudo, quam tunc Venetus ſecretarius aut ignorauit, aut poſthabuit, certè ſoluit. Nam fretus iis, quos ſibi paucula pecunia pignoratos credidit, Rhætica Repub. nihil conſulta, in aliena ditione tympana pulſari, & militem ſcribi iuſſit. Id quod in Repub. ordinata haud impunè feciſſet. Subuenit ei illa, quæ tunc ibi fuit, ciuilis diſſenſio, & rerum omnium confuſio. Hoc facinus tam audax, & inſuetum vniuerſam gentem aduertit. Solertiores quidem exacerbauit eò vehementiùs, quòd eum delectum communitates denegaturæ potiùs, quàm conceſſuræ credebantur. Id quod cùm ſecretarius meritò metueret, haud ſtultè ſapere creditus eſt, qui ad delectum perueniret, abſque vllo tædio moræ, & ſine vllo ſumptu quem nos, tali re, non exiguum facimus, denique ſine vllo periculo repulſæ. Tunc ſane opinio cõſtans tota Rhæ-

tia percrebuerat, Senatum Venetum, cui Rhætici motus non probarentur, metuiſſe, ne quidpiam fortiter, & ex ingenio gentis liberę in conſilio ſecreto decerneretur; eaque Fuentano noua naſceretur occaſio turbandi ea, quæ in Italia inibi erant vt componerentur. Idcirco ab eo inuentum fuiſſe, quo pacto hoc ſecretum conſilium, vnde tale quidpiam manare poſſet, vaneſceret. Certè quicquid præter quieta conſilia Rhæti agitarent, vix vlli fœderatorum probari poterat. Ea re ſecretario Veneto mandatum aiebant, vt non quoſlibet capitaneos legeret, ſed hos tantùm. Portenti ſimile tunc fuit, vnos hos, quibus grauiſſimum Reipub. regendæ munus non ita diu mandatum eſſet, in eam rem, quæ multis aliis credi poſſet, electos fuiſſe. Vbique audiebantur hæ voces, Annon tantum negotij in manibus iſtorum eſt, quo dies, noctesque diſtineantur, niſi inſuper Venetæ Reipub. capitaneatus ipſi,

omnibus aliis præteritis, habeant? Ergo in ipſo publici negotij articulo ad ipſos ventum eſt, vt, non alij, ſed hi vni ad primam & leuem pauculæ pecuniҫ mentionem omnem Reipub. curam deponant? Hæc non ſolùm vulgus, ſed & ſollertiſſimus quiſque. Omnes pariter querebantur, ſe, ancipiti Repub. à Venetis non ſolùm deſeri, & ſua pericula contemni, ſed & Rhætiam ſuo milite deſtitui. Cùm enim is delectus trium millium, & ſexcentorum militum eſſe diceretur, ſatis cõſtabat, Rhҫticæ pubis florem decerptum iri. Dicebatur quoque, nullum militaribus Venetorum copiis tranſitum per Alpes Rhæticas datum iri, ſi non ſuper ea re nouæ Veneto fœderi, & ſingulares pactiones adiicerẽtur, quarum ope Rhҫticҫ Reipub. melius conſultum eſſet. Secretarius tamen quà cœperat, pergit. Singulis hiſce capitaneis numerat nonaginta aureos coronatos, illicium ad accipiendos plures. Id ſcilicet, per-

ſuaſum habebat, Sibi ad omnia quæ vellet, à communitatibus impetranda horum operam fore peropportunam.

Paulò ante, quàm hæc agerentur, nuntiatum fuit, eos, qui ab rege Hiſpaniæ Italicis prouinciis impoſiti eſſent, apud Pontificem profeſſos, Quicunque Venetis auxilia portaſſet, hũc ſibi fore pro hoſte. In his propter Venetum hunc delectum, Rhæti futuri erant, apud eum potiſſimùm, qui omnes occupandæ Valtellinæ occaſiones, qualeſcunque eſſent, conquireret. Et quamuis belli Italici metus in dies minueretur, hæc tamen non pauci Rhætis dicebant eſſe perpendenda; ne, dum Venetis auxiliatores adſunt, ſibi è vicino tam infenſo aliquam cladem accerſant.

Tunc Hiſpanica factio, quę in dies gliſcebat, palàm dicere audebat, annua regis beneficia, quas vocant penſiones, aboleri oportere. Alij eas penſiones ſerò diſtribui querebantur. Nec

deerant, qui fœderatis ſua fœdera renunciari oportere dicerent.

Sub hæc, à conſilio ſecreto vnus eius ordinis ad ſenatum Venetum legatur, qui eos patres edoceat de iis periculis, quæ Valtellinam circumſiſtũt. Huic iniunctum eſt, vt cum illo ſenatu obteſtatione, quam proteſtationem vocant, agat. Quæ ratio tam vehemens & diſtricta eò pertinebat, vt iis militibus, qui præſidio Valtellinę mitterentur, ſtipendij partem Veneta Reſpublica ſuppeditaret.

Conſilium quoque cenſuit, vt pauci ex eo ordine lecti Tuſii commorarentur, qui ſubitis mederi poſſent. Petitur à me, vt iſtis è regia pecunia ſumptus dentur. A me ad regem reiecta res eſt.

Per eos dies ad epiſcopum Curienſem perlatum eſt interdictum Pontificis, quo ſecretarius Venetus aditu Curienſis eccleſię arceri iubebatur.

Tunc quoque ſenatus Curienſis edi-

xit, Ne quis nec mercator, nec veterinarius vllas exin nec Italicas, nec Germanicas merces veheret, niſi per Alpem Septimii, ac proinde per Curiam, & Prægalliam. Hoc edicto nonnullis Griſæi fœderis communitatibus commercium adimi apparebat. Nam quãtum Septimio itineri datur, tantũdem Splugenſi adimitur. Hinc harum communitatum fremitus. Hiſpanica factio Curienſes iure niti firmabat. Griſeæ communitates ſe ſui iuris antiqua poſſeſſione deturbari atrociter querebantur. Satis apparebat, occaſionem quæri cõmittendi Rhetos inter ſe, vt dum de talibus digladiantur, reprimendo hoſti impares redderentur. Communitates aliæ, & omnes vnà protinus decernunt, vt à proximo pittago ea controuerſia dirimatur. Eædem communitates de Veneto delectu conſultæ, pars delectum ſine vlla exceptione permiſerunt. Pars ei conceſſioni exceptionem addidit, vt ſi rex dele-

ctum petat, Venetis antehabeatur. Delectus item nullus ſit, ſi ſuo milite Reſpublica vti velit.

Vt ſenatus Venetus reſciuit, ab Rhætis ad ſe mitti legatum, qui iam dederit ſe in viam, eodem itinere miſit hominem certum, qui ei ſignificaret, vt vbi repertus eſſet, ibi ſubſiſteret, vſque dum donnus Alfonſus de Caſtro, qui tunc miſſu regis Hiſpanię Venetiis eſſet, diſceſſiſſet.

Tunc allatum eſt, communitates catholicas negare, ſe in vllam expeditionem miſſuras eſſe ſuos milites, ſi eſt, vt contra Pontificem ducãtur. Quinque, ſcilicet, pagis in eo gratificabantur, qui ſe tunc Pontifici militaturos profiterentur, ſi Rhæti Venetæ Reipub. aduerſus eum auxiliatores eſſent.

Vniuerſæ Rhæticæ gẽtis ea tunc ſententia fuit, Si Venetiis Rhætico legato daretur id reſponſi, quo non ſibi abundè ſatisfieret, vti Venetum fœdus reſcinderetur. Neque quicquam in ore

multitudinis frequentius fuit, quàm, vt illos Deus eradicet, qui eius fœderis autores fuiſſent.

Dum magna illa inter Pontificem & Venetos controuerſia vigeret, data mihi occaſione, Rhætos monui, vt omnia ſuſpenſa manu, & circumſpectè tractarent. In primis, ne vrgerent reſponſa regis, quorum dilatio non vllam regiæ erga ipſos beneuolentiæ diminutionem arguat; ſed ſanè ſit euidens argumentum ſapientiæ regalis, eiuſque conſilij, cuius executio quò plus differtur, hoc ipſis plures, & vberiores vtilitates allatura ſit. Quippe ſi res in Italia non tranquillentur, Fuentano ſatis, ſuperque negotij futurum, quo ſuam belli faciendi cupiditatem expleat. Si pactionibus Italicum negotium terminetur, omnem Venetis excuſationem adẽptum iri, quominus Rhætis, vt ſe dignum eſt, opitulẽtur.

Per eoſdem dies communitates fœderis Griſæi omnis moræ intolerantes M DC VII

ſuos quoque nuntios, qui fuerunt ſexdecim, Ilantium conuenire iubent, & ibi Strofrichtum eligere, vt pro meritis vindicetur in eos, qui his turbis cauſam dederunt. Ad eamdem ſuſceptionem aliorum fœderum communitates inuitant. Ei rei diem ſtatuunt. Manum quoque ſatellitum ſcribunt comprehendendis reis. His decernunt ex ea pecunia ſtipendium, quæ ex bonis damnatorum in fiſcum redigetur.

Tunc quoque pars metus à Rhætis in Fuentanum tranſlata videbatur. Nec enim arcis præſidio, quod eſſet ducentorum militum, contentus, totidem impoſuit iis locis, quibus nomen Tres parœciæ ſiue plebaniæ; ne fortè ea loca quorum poſitus eſt arduus, & confragoſus, impetu, id quod Rhætis in procliui fuit, occuparentur. Hos ducentos milites percrebuerat, permiſſu Pontificis, ali à clericatu Mediolanenſi.

Multorum quoque literis cognitum eſt, Fuentanum cogitaſſe de inducenda in arcem ea Hiſpanorum legione, cui nomen Tertium Neapolitanum, quæ ſunt veteranorum tria millia. Præterea habere delectum multi peditatus. Nec tamen, vt fieri conſueuit, tympana pulſari. Ab eo multos turmarum ductores eligi. Ad conlimitia miſſas fuiſſe duas Hiſpanorum cohortes; quarum vna inierit arcem, altera ſit Geræ. Omnia itinera, quæ ex agro Mediolanenſi ducunt ad arcem, nuperrimè explorata fuiſſe. A Gaudentio Madruccio Tridentino mandatu Fuentani ſcriptam fuiſſe legionem militum ſex millium. Cùm hæc, & alia quædam eius generis in eo conſeſſu mihi relata fuiſſent, me rogare inſtiterunt, vt ſe conſilio iuuarem. Eo ſunt ingenio Rhæti, vt cuius legati conſiliũ ſciſcitantur, eius opem implorent eam, ſine qua nulla eius conſilij, quod ipſe aut dederit, aut

probarit, executio eſt. Reſpondi, non eſſe meum, qui vnus ſim, tot ſenatores meo conſilio impertire. Ne tamen iis deeſſe viderer, quibus fauerem, & cuperem, ſeorſim à cæteris nonnullos monui, ne ſe multitudinis impetu abſtrahi paterentur. Credendi temeritatem nimiam cohiberent. Omnia tamen ſic aduerterent, vt, quæ caueri debent, in ea ne impingerent. Vt ad quoſlibet ſtrepitus paueſcere, improuidæ mentis vitium eſt, ita nihil negligere non poſtremum prudentiæ documentum cenſeri. Ergo illud extremum vitent; hoc medium ſequantur. Intra ſuæ ditionis terminos cuncta ſic diſponant, vt, quicquid ingruet, ſine damno excipi poſſit. Ne grauentur inſtaurare preces apud Tigurinos & Bernenſes, in quibus quàm grande momentum ſit, ex eo intelligitur, quòd auxilio ſibi venire vix quiſquam, niſi per horum ditiones, poteſt.

Ab eodem concilio ſecreto decernitur, vt in ſingulis fœderibus aliarum cohortium delectus habeatur. Hæ ad Morbinium ſint ad diem xj Februarij. Inde ducantur ad fauces Alpium, eaſque inſideant. Interea literæ dantur ad Communitates Engadinæ, & Poſclauij, quibus acceptis, intelligant ſibi præſidiis inſidenda eſſe clauſtra Tirani, & Bormij. Ad proueditorem alterę dentur, quibus is iubeatur aliquot Valtellinenſium cohortes imponere Morbinio, ex earum numero, quas Reipub. fideles putat. Is miles iis locis non abſcedat, vſque dum Rhæticæ cohortes aduenerint. Ipſi proueditori attribuantur duę cohortes. Hæc decreta, vnà cum exemplo eorum omnium, quæ hîc nũtiata ſunt, intra diem decimam quartam Februarij deferantur ad ſingulas communitates, vt pariter ab omnibus quo loco omnia ſint, ſciri poſſit. Senæ Rhæticæ cohortes tradantur duodecim capitaneis. Ho-

rum tres ſint ex hoc ordine lecti, è ſingulis fœderibus ſinguli. Cæteri conſiliarij ne Tuſio excedant. Alij capitanei, & officiales per fœdera ęqualiter deſcribantur. Oenopontum, & ad alia loca literę mittantur, quibus omnes, quotquot ſunt Rhętię confines, hunc ſex cohortium delectum non alia mente habitum cognoſcant, quàm ne Valtellina defenſore careat. Per literas grauis expoſtulatio mittatur ad Fuentanum, ob fas gentium à ſuis nuperrimè ruptum. Nuntietur ei, quatuor milites Hiſpanos in Rhętica ditione fuiſſe interceptos, & in arcem retractos. Poſtuletur, vt ij milites vbi capti fuerunt, ei loco reddantut. Literę dentur ad Rhęticos nuntios, qui nunc ſunt in Heluetia, vt nomine Reipub. adeant Tigurinos, Bernenſes, & Glaronenſes. Iis aperiant pericula Rhętiæ, ea quæ hîc nuntiata ſunt. Eius ſcripti, quo ea continentur, exemplum ipſis tradant in manus. Dicant, Senatum Rhęticum

eius conſilij, quod ipſi dederint, memorem proxima periculo loca præſidiis firmaſſe. Obſecrent, & obteſtentur eos, vt, non modò ex fœdere, verùm & pro mutua harum Rerumpublicarum charitate, & communi ſalutis, & libertatis tutela, ſe in his miſeriis ne deſerant; ſed aliquo memorabili auxilio iuuent. E ſuo ordine aliquis conueniat ſecretariũ Venetum. Cum eo de auxiliis ſeriò agat. Perficiat, vt de re tota Senatus Venetus edoceatur. Atque vt Veneti, quorum Valtellinam ſaluam eſſe, non minùs intereſt quàm Rhętorum, tandem ad has res animũ intendant. Hæc omnia Rhętico legato, ſi etiam Venetiis eſt, perſcribantur. Deligatur vnus aliquis, qui quamprimùm de auxiliis ad regem ſupplicatum mittatur. Hæc decreta vbi ad me delata fuerunt, ſuper ſingulis conſilium meum ſciſcitati ſunt. Stipendium quoq; prę ſidiariis militibus à me petierunt, iis tunc quidem cohortibus,

quas à tribus pagis expectent. Nullam benignèfaciendi occaſionem regi maiorem oblatum iri aiunt. Sanè ob tam inſigne beneficium non ipſos modò, ſed & omnem Rhæticam poſteritatem regi deuinctam fore. In hanc ſententiam reſpondi, Cùm ea, quę nuntiantur, pro veris haberi videam, tanti apud me eſſe prudentiam eius ordinis, vt nihil ab eo, niſi ſapienter decerni credam.

Ea conſilia nunquam improbari, quę ratio neceſſitati innexa ſubiicit. Igitur meo conſilio non amplius eſſe locum, ſiue decreti cauſas, ſiue eius autorem ſpectari oporteat. Cęterùm nunc quidem nullã eſſe opem, quam ipſis ferre poſſim, qui nullum ſuper noua re mandatum regis acceperim. Quod in manu mea eſt, nullo me vnquam officio ceſſaturum. Regem me huius noui negotij certiorem facturum; Et meo more ſupplicem ab ipſo petiturum vt ſuis fœderatis, tempore

tam

tam neceſſario, ſolita benignitate adeſſe velit. Hoc vnum me ſpondere, eam ſpem, quam in bonitate tanti regis habeant, nunquam fore irritam. Porrò quod dixi, à me ipſis conſilium dari non poſſe, id eò pertinere, vt in iis, quæ ipſi decreuerunt, mihi quidem nihil mutandum putem. Siquid tamen eſt in me conſilij, id eiuſmodi eſſe, vt quamprimùm ex aliis fœderatis adeatur ij, qui Rhętiæ proximi. Ad hos hęc omnia pericula deferantur, & qua ratione iis obuiam eumdum eſſe Senatus cenſuerit, exponant. Ab ipſis, ſi fieri poteſt, impetrent auxilia tempeſtiua, & valida. Seriò quoque eos monui, etiam atque etiam videant, ne quid ex præſidiariæ copiæ audeant extra rem ſibi mandatam. Illaceſſitæ ne per laſciuiam, & petulantiam excurrant extra fines Rhæticos. Sua tantùm vigilanter cuſtodiant. Ita ſe gerant, vt nullam cuiquam iuſtæ querimoniæ occaſionem præbeant. Qualiſcunque eos oc-

caſio proritare viſa fuerit, ea ne mo-
ueantur. Alienam ditionem nun-
quam attingant. Nullos belli caſus
tentent. Si hoſce monitus non negle-
xerint, ſpem eſſe, præſentia pericula
depelli poſſe. Hac ratione contem-
ptum vicini nimiùm ferocientis ve-
ro eius metu mutaturos eſſe. Hæc
illis grata, & accepta fuiſſe; ex eo
cognoui, quòd præfectos cohortium,
& alios officiales actutum monue-
runt, vt illos monitus quiſque ani-
mo figeret. Inde enim fidem facturos,
ſe ei Reipub. militare, quę non inſi-
diatur alienis, ſed id ſedulò cauet, ne
quis ſua ſibi iniuriosè, ac per vim ere-
ptum eat. Decretorum executio ho-
minibus experientibus mandata. Et
ſex Rhætorum cohortes in Valtelli-
nam vti mitterentur, quamprimùm
data eſt opera. Die quarta Februarij
ſingulæ communitates ſuos milites, ita
vt ibi fieri conſueuit, legerunt. Ni-
mirum populi ſuffragiis ſinguli mili-

tes lecti in expeditionem ire coguntur, propemodum priſco more, quo vir virum legebat.

Vbi hæc ad Venetum ſecretarium perlata ſunt, is Morbinio diſceſſit, ac Tuſium profectus ad me venit; dixitque ſe ab Senatu Veneto habere in mandatis, vt in Rhætia ſex cohortium delectum habeat, quæ Venetam ditionem quamprimùm ingredi iubeantur. His præſint ij capitanei, quibus iam inde à menſe Septembri nonnihil pecunię dederit. Hinc intellectum eſt, id illum egiſſe, vt conſilij decreta irrita faceret. Verùm ſerò ſe veniſſe intellexit, cùm è capitaneis nonnulli cum ſuis militibus iam dediſſent ſe in viam; pars ibi eſſet, vt iter ingrederetur. Certè cùm ad quid veniſſet, compluſculis dixiſſet, ab omnibus id reſponſi accepit, ex quo ſcire potuit, quo loco tunc res Veneta in Rhętis eſſet. Nam propter ea pericula, quę nuntiabantur, decretum

per eos dies fuerat, ne vllus Venetis militum delectus priùs concederetur, quàm ſciretur, quid reſponſi ſuper auxilijs Rhęticis Rhętico legato Venetiis datum eſſet. Nam generale reſponſum, quod is iamdiu acceperit, nihil ad rem pertinere. Velle ſibi ſpeciatim dici, quę ſit Veneti ſenatus ſuper Rhęticis rebus, vt nunc ſunt, ſententia. Si ei legato non ea reſponſa dentur, quibus abundè ſibi ſatisfiat, & militum delectu, & Alpium tranſitu Venetos prohibitum iri. Hęc, vt dixi, in propatulo omnium vox fuit. Enimuero tunc omnes non parum mirari, quiſnam eſſet ſenſus illorum, qui rem eam, quæ ad ſe maximè pertineret, ne aduerterent quidem; aut eam ſanè non è re ſua tam diu, tamque obſtinatè diſſimulando omnem eius negotij curam ad eos reiicerent, apud quos omnia conſtaret eſſe ſoluta, & immerſa fluctibus confuſionis. Denique Senatus Veneti hoc reſponſum

fuit, cum rege actum iri, quibus modis Rhætis auxilia ſubmitti poſſint; quandoquidem, inquiunt, in hoc negotio præcipuæ ſunt partes regis. Si de tanti regis opibus, ac dignitate ſenſerunt, rectè. Si de eo, quod cuiuſque fœderati intereſt, aliud vtique dici potuit. Nam quid, quæſo, detrimenti regnum Galliæ patiatur, quamuis tota Rhætorum regio cogatur in poteſtatem Hiſpani? Num idcirco quicquam de Gallica magnitudine, & potentia detractum dicas? At ſi ſola Valtellina fiat iuris Mediolanenſis, nimirum, ſciunt Veneti, quantum ſua interſit, tranſalpinis auxiliis non deſtitui, quæ ipſis nonniſi per Valtellinam mitti poſſunt. Gnari locorum non minùs ad Venetos, quàm ad Rhætos, quorum Valtellina eſt, hoc totum negotium pertinere autumant. His vocibus vici, platææ, itinera ſtrepebant. Et adhuc Venetus ſecretarius nihil horum exau-

diebat, aut certè omnia ſibi diſſimulanda eſſe decreuerat. Hæc Hiſpanici cùm viderent, gaudio elati non in ſinu tantùm, ſed & propalàm, ſicuti ſpei certi, ridebant. Certè Valtellina Hiſpani faucibus vix eripi poſſe videbatur.

In diebus paucis, quibus hæc acta ſunt, Padauinus ſecretarius Venetus Venetiis profectus per Tuſium tranſiit, & ad me venit. Inſtituto inter nos, vt fit, ſermone, is omnem eam controuerſiam, quæ tunc eſſet inter Pontificem & Venetos, ordine apud me exequutus eſt, ad hunc ferme modum. Primò accuſauit Pontificem nimij affectus, eius, qui pontificalem celſitudinem parum decet. Quippe hoc faſtigium quiſquis inſederit, ab eo deſiderari, vt ſit parens nominis Chriſtiani, non turbator. Satis ſciri, ipſum eò ſe demiſiſſe, vt pro vniuerſali parente factus ſit miniſter Hiſpanicę ambitionis, quæ nullo

fine terminatur. Contra omne fas, & omne officium, non dico ſummi paſtoris, ſed cuiuſlibet, qui in Eccleſia Dei vel minimo munere fungatur, faces diſcordiæ omnibus Venetæ ditionis partibus ſubdidiſſe, vt eam faciat prædam aut ſuam, aut eorum, quibus ſe ipſe deuouit. Ad hoc tam malum facinus patrandum adhibuiſſe Ieſuitas, qui ad pleroſque Venetæ ditionis homines auſi ſunt dare literas, quibus omnes diligenter cauere iubent, nè in vrbe Veneta interſint ſacro miſſæ. Qui hoc faxit, hunc aiunt eſſe idololatram. Hoc malum ſi non Senatus, inquit, extraordinaria diligentia compeſcuiſſet, ibi res fuit, vt cædibus omnia redundatura fuerint. Rem vſque eò proceſſiſſe, vt ipſa ſanctimonialium cœnobia hęc lues peruaſerit; quarum hæ dicantur eſſe Papinæ, aliæ Venetæ, ſeu republicantes. Certè his de rebus perpetua eſſe inter ipſas certamina. Edi-

 cta & inſtituta Reipub. condita ante annos tercentum nulli vnquam cenſuræ obnoxia fuiſſe. In his nihil ab vllo Pontifice mutatum, vſque ad eum, qui nunc Apoſtolica ſede ſedeat. Qui etſi erga Rempub. Venetam eſt animo tam exulcerato, Senatum tamen Venetum, pro ſua inſigni pietate, proque illa ſingulari obſeruantia, qua ſemper fuit erga ſanctam ſedem, apertè profeſſum eſſe, earum rerum ſe defuturum nulli, quas ab ſe præſtari æquum ſit. Quæ pia mens etſi Venetis eſt congenita, tamen grande ad eam acceſſiſſe momentum, regios hortatus, & auguſtam illam tanti principis autoritatem. Hanc quidem animi regij, & ſapientiæ regalis magnitudinem hodie Rempub. Venetam, vt ſalutare quoddam, & beneficum numen, admiratione, & ſingulari quadam veneratione proſequi. Certè ſic animum inducere, ſibi in tanti regis amicitia plus eſſe repoſitum, quàm in

cæteris iis quibus hæc tractatio credi poſſit. Iamque Senatum Venetum libenter agnoſcere, quàm regiè rex rem tractarit, & quidem nullo cuiuſquam impulſu, ſed ſuæ vnius bonitatis, regiæque magnitudinis monitu. Huic regiæ autoritati eumdem Senatum tantum tribuiſſe, vt ea, quæ decreſſet, ſuſpenderit, carcere clauſos emiſerit, Romam legatum miſerit. Verùm quo ſe Veneta Reſpub. officioſiorem, & ſedis Apoſtolicæ obſeruantiorem oſtēdit, hoc minùs ad vllam ęquitatem flecti pōtificem potuiſſe. Nihil eorum, quæ aſperè ſtatuiſſet, remiſiſſe. Ne adduci quidem potuiſſe, vt ſuum interdictum ſuſpenſum teneret, donec durat hęc de reconciliatione tractatio; dumque Veneta edicta ſuſpenſa manent. Huic vni regiæ petitioni Rempub. aſſentiri non potuiſſe. Nullius æquitatis eſſe, ex vna parte omnia eſſe ſuſpenſa, ex altera nihil. Hic, inquit, omnis nodus eſt. Cæterùm dum hæc

tractantur, dum omnium mortalium vota in hoc vnum ſunt erecta, vt res concordia finiatur, inde nihil aliud apparuiſſe, niſi magnos belli paratus, primò occultos, deinde manifeſtos, poſtremò tales, vt magna cauſa ſit, quapropter ſibi Reſpub. ſollicitiùs caueat; & quibus munimentis aduerſus tantum impetum protegi poteſt, hæc vndique conquiſita ad manum habeat. Quapropter Rempub. nunc quidem magnæ claſſi inſtruendæ, atque ornandę intentam eſſe. Huius claſſis præfecto ſummum ius datum iri illi conſimile, quod fuit Romani dictatoris. Terra quidem ita proſpectum eſſe, vt peditum iam ſcripta ſint millia decem. Quibus acceſſurus eſt equitatus, nempe ad duo millia Albanenſium, ſiue Stradiotarum, quę ſit gens bello nobilis. Quod maximum eſt, omnes, quotquot ſunt in ditione Veneta, mortales ad Venetæ Reipub. ſalutem, decuſque propugnandum ingenti conſenſu

ferri. Omnes ita animatos eſſe, vt nullam nec fortunarum, nec proprij ſanguinis iacturam reformident, dum à Repub. vim & iniuriam repellant. In his eſſe regnum Candiæ, cuius vnius pecunia viginti triremibus bene inſtructis, manente bello, ſtipendium ſuppeditabitur. Ex hac ipſa Candia propediem Venetias aduēturam haud ſanè ſpernendam manum ſagittariorum, durum in armis genus, malo ſuetum, cæterùm ſobrietatis aduertendæ, tum vigilantiæ ſingularis; tanta item iaculandi peritia, & velocitate, vt quatuor ictibus hoſtem petant, dum ſchlopetarius, & moſchetarius vno. Iam Venetiis ex ærario quingenta aureorum coronatorum millia prompta fuiſſe, quæ in multa præſidia diſtributa fuerint. In Rhætia ſtatuiſſe Venetos ſcribere ſex cohortes. Sibi in animo eſſe hinc proficiſci Glaronam rogatum milites Heluetios. Inde iturum in Lotharingiam, & ſi res dederit, vlteriùs,

ſcilicet, vt militarium copiarum quantam maximam vim poterit, cõtrahat, quæ ad hoc bellum proficiſcantur, quod haud dubiè inſtat, ſi non alicuius interuentu miraculi hoc malum, pro ſua bonitate, Deus auerruncet. Hæc ille.

Tandem ſenatus Venetus à Rhætis tamdiu, ac toties interpellatus ad eorum poſtulata reſpondit, ſe militibus præſidiariis in ſingulos menſes daturum tria millia ducatorum Venetorum. Quæ ſumma conficit aureorum coronatorum duo millia. Hæc Veneta benignitas omne præſidium vſque eò irritauit, vt eam vno omnes conſenſu lacerarint, eáq; pecuniam propalàm aſpernati ſint. Dicebant, illam non modò ſibi nullo adiumento futuram, ſed hoc eſſe experimentum, quàm Rhætia Venetis deſpicatui ſit. Nec enim eſſe quintam partem eius opis, quam res deſiderat. Confeſtim ad legatum Rhæticum, qui etiam Venetiis

eſſet,literæ dantur,quibus is in patriam actutum redire iubetur, ſi tantilla pecunia eſt ſumma eius opis, qua Veneti Rhæticam Rempub. ſubleuare audent. Si hoc eſt, decernunt, vt omnis delectus, omniſque tranſitus Venetis denegetur. Mittunt ad Triumuiros, qui eis hęc nuntient. Si ſibi, inquibant, Veneti nouum ingenium induerint, nos quoque quà præibunt, ſequemur. Porrò quod Rhęticus legatus pluſquam tres menſes Venetiis fruſtra contriuiſſet, neque eo ſpatio temporis quicquam certi ab eo ſenatu exculpere potuiſſet, quod ad cognoſcendas, & exequendas fœderis conditiones pertineat, id verò vniuerſos maiorem in modum perculerat. Palàm dicunt, tantam ad benignè faciendum cūctationem non eſſe affinem bonæ fidei. Quin, & nonnullos illorum ipſorum, qui priùs eſſent in Venetos proni, inde vſque eò exacerbatos conſtitit, vt illas partes deſererent. Hæc cùm Hiſpanici

acriter aduerterent, idemtidem iactabant, ad illud redeundum eſſe quod iamdiu deſitum eſſet. Conditionibus & pactis cum Fuentano agendum. Horum ſtudiis ſua catholici ſacerdotes aggregabant; atque adeò perfecerant, vt Catholicę communitates ſe Venetis aduerſarias profiterētur. Contra, capitanei, qui bis à Veneto pecuniam accepiſſent, palàm ſe Venetis operam daturos profitentur. Tympana pluribus locis, præſertim Curiæ, ac Tuſij, nullo Reipub. permiſſu, pulſari, & nomina eorum ſcribi iubent, qui Venetis militare velint. Hi cùm eſſent oppidò pauci, & circa vexilla ſolitudo eſſet, eos huius paucitatis pudere cœpit. Certè verebantur, quem res exitum habitura eſſet. At miniſtri proteſtantes, qui aduerterent, catholicos eſſe auerſos à Venetis, qui inſuper exiſtimarēt, hoc eſſe negotium religionis, eius, quam Venetias induci poſſe ſperarent, fidem tutandam eſſe cla-

mant. In ſuis quidem ad populum concionibus catholicorum mentem, cui perfidiæ nomen indunt, deteſtantur. Hæc tunc fuit in illa Rhætica multitudine animorum diſtractio, quam Veneto fœdere prognatam Veneti ſenatus illa ratio reſtrictior, tum quotidianus arcis Fuentanæ aſpectus, & metus plurium miſeriarum in dies intendebat. Videres neminem, qui non odiſſet præteritas prolatationes. Mutuis exprobrationibus vbique certatur. Sua culpa Fuentani cœpta promota fuiſſe dicunt. Qui modeſtiùs loquerentur, hi ſibi à nemine manum protendi flebiliter miſerabantur. Suos fœderatos in eo tantùm & ingenioſos, & officioſos dicunt, vt reperiant, quàm ſpecioſis cauſis nihil Rhætorum cauſa velint. Se interim nihil niſi infenſum, & atrox experiri. Aliâ rem tentandam. Videndum ſiquid paciſcendo melius aſſequi poſſint. Hæc pronis auribus à multitudine excipiebantur. Illi ipſi,

quibus quod Gallico fœderi obiiciant, nihil eſt, hac occaſione Veneti fœderis, perque eius inuidiam, omnia pariter fœdera renuntianda dicunt. Id vnum callido ſilentio premunt, quò peruenire cupiunt, nimirum, vt aliis fœderibus reiectis, vni Mediolanenſi locus ſit.

In hęc, taliaque iam agminatim ibatur. Nam multitudo, apud quam vix eſt vlla forma ſanitatis, vbi recto ſemel deerrauit, per eam errationem rectà fertur in præceps. Res eò proceſſit, vt denique lymphatus quidam furor multas communitates corripuerit. Illa vetera, quæ quodãmodo obliterata viderentur, tunc nouis remiſceri cœpta. Inprimis illi primores prodıtę, & perditæ Reip. propalàm inſimulati. Hos feralis huius Veneti fœderis conditores dicunt. In horum exitium accenduntur. Quod illi eo fœdere tranſitum Alpium Venetis venum dederint, de ea re audacter firmant, nihil ad communitates

nitates fuiſſe relatũ. Si ei fœderi is tranſitus ſit adſcriptus, id totum eſſe & fictum, & falſum. Eius rei pretium iſtis fuiſſe numerata octoginta millia ducatorum. Et quamuis parum credibile eſſet, tantam vim pecuniæ in eam rem à Venetis effuſam fuiſſe, mira tamen peruicacitate id vulgo perſuaſum & creditum. Hinc exarſit ſeditio. Die ſexta Martij Curualdenſes erupere. Primi, rapto, & explicato vexillo Curiam perrexerunt, vbi à Curienſibus primò quidem non ſunt recepti mœnibus. Hos inde ad paucos dies nonnullę aliæ communitates imitatę ſub vndecim vexillis ſuos milites Curiam miſerunt. Diſertinenſes, & Longanezzij, etſi is motus ad ipſos peruenerat, immoti ſuis finibus haud exceſſere; capitaneis tantùm, aliiſque ſuarum cohortium officialibus Curiam miſſis. Hi cæteris iis, qui eò armati venerant, permiſti, agmine facto, Curienſem magiſtratum circumuadunt. Turbido clamore fla-

gitant, vt ſe cum aliis coniungat. Id quod cùm magiſtratus conſtanter abnueret, eo relicto, & contempto, inſerunt ſe vrbanæ plebi. Hæc primò magiſtratum, & ſenatum reuerita de more ſuos cõuentus per tribus habuit. Hinc exiit plebiſcitum ad hunc modum, Quę Venetis promiſſa fuerint, ea oportere eſſe & ſancta, & rata. Ea res vt turbidos perculit, ita bonis nonnihil ſpei addidit. Et verò duæ tertij fœderis cohortes, quas is tumultus Curiam exciuerat, ſiquid priùs contra fas cogitaſſent, mutatæ in pœnitentiam, in Curienſium ſententiam ierunt. Id quod nonnullum ſpei amplioris rudimentum erat iis, qui eam ſeditionem deflagrare cuperent. Sed contra euenit. Nam accurſu aliarum cohortium is motus magis, magiſque intumuit. Plurimi, velut eius, quod ageretur, neſcij proximos, & obuios quoſque percontantur, quo autore arma caperentur. Quò ſpectet is tot arma-

tarum communitatum concurſus. Ibi meticuloſi cum promptis, & incallidi cum verſutioribus, & pauculi fidei tenaces cum fœdifragis, quorum numerus iniri non poſſet, ſuos affectus promiſcuè, & impunè promebant. At Hiſpanici, qui huic tumultui autores eſſent, quid quiſque diceret, aut faceret; attenti ſpeculabantur, vt, prout res inclinaret, eò ſua deſtinata dirigerent. Habebant in ſinu ſcriptas conditiones, quos vocabant articulos, & quidem Mediolanenſibus perſimiles, ſi non illos eoſdem, nonnullis exceptis, qui his additi. Hoc fuit illis tentamentum, quo animos motæ multitudinis explorari poſſe rati, adea per ſeditionem extorquenda vadebant quæ paciſcendo non obtinuerant. Hi articuli in hanc ſententiam ſcripti per manus inſpiciendi, ac tranſcribendi tradebantur, hoc ordine, & hac ſententia. I. Ne cuiquam extero Alpium tranſitus concedatur. II. Quo

autore præſidium in Valtellinam miſſum fuerit. Et quis in ſtipendium eius præſidij pecuniam ſuppeditet. III. Nullum tranſitum Venetæ Reipub. à communitatibus fuiſſe conceſſum, nedum tot militaribus copiis, quæ, vt ei militent, aduentare dicantur. IIII. A communitatibus cum Franciæ Delfino nullum fœdus eſſe factum. Nec amicis regis vllum tranſitum eſſe promiſſum. V. Conſilium ſecretum vti quamprimùm profligetur. VI. Quæ communitates cum Mediolanenſi ducatu vetuſto fœdere iunctę ſint, his vt illud renouare liceat. Hac ratione quis cuiuſq; de publica re ſenſus eſſet, aſtutè elici poſſe credebant. Tunc nōnullæ communitates ex iis, quę fidei cuſtodes haberentur, ſibi variis artibus vt Curiam proficiſcerentur, perſuaderi ſunt paſſæ. Ibi turbidarum contactu deprauatæ, & in eamdem prauitatem prolapſæ ſunt. Nullum incendium tam citò dilatatur, quàm ſeditio. Plures de-

nique truculentis vocibus illos primores repetundarum, & Reipub. proditæ arceſſendos clamant. Eâdem edicunt, ne vllius principis aut Reipub. penſiones accipiantur. Inſuper clamant, fœderatis ſua fœdera eſſe renuntianda. Sed maiorem partem Venetis infęnſi ab eo deduci non poſſunt, Nullum Veneto fœdere tranſitum fuiſſe comprehenſum. Ac tamen Lotharingis illis, qui ad multa millia aduentare, & Venetias ire dicãtur, propoſitum eſſe, vt ſpecie tranſeuntium, Alpium fauces occupent. Diſſonæ vbique, & atroces voces. Turbidiſſimus quiſque cohortium officialibus miſtus, minax globus, & cæteris ad quidlibet audendum impulſor, & ductor, clamore irrumpunt pittagum, certè trepidum. Ibi ferociter, Milites, inquiunt, ſcire volunt, qua de cauſa ſex illæ cohortes miſſę fuerint in Valtellinam. Id quoque ſibi dici iubent, qua ratione conſilium ſecretum cætera ordinauerit.

Confeſtim ipſis exhibita fuerunt autographa earum omnium literarum, quę ſcriptæ fuiſſent Oenopontum, Venetias, ad Heluetios, ad regem, & alia quædam ſcripta, quibus præſens Reipub. ſtatus deſcriberetur. Horum ſcriptorum exempla ſibi dari flagitant. Ea re impetrata, dixerunt, ſe velle conſultare ſuper iis quæ vidiſſent. Se ſuper ſingulis quid fieri ęquum ſit, expromturos. Nec tamen illico fecerũt. Nam quò ſeditio iis efficiendis quæ vellent, validior eſſet, plurium cohortium aduentum expectabant. Cùm omnes aduenerint, tunc ſe aiunt de iis omnibus acturos, quibus vniuerſorum vtilitas, & commoda continentur.

Inter quæ è Gallia remeauit is, qui à conſilio ſecreto ad regem miſſus fuerat, Ioannes Lutzius Guglebechius, qui mihi reddidit literas regis, è quibus, quid ſuper Rhæticis rebus ſententię rex eſſet, cognoui. Id Curiam ad pittagum per media turbidorum, & fu-

rentium agmina detuli. Eius reſponſi hæc ſumma fuit, regem nihil cunctatum decreuiſſe in ſingulos menſes ſex coronatorum millia iis militibus, qui in Valtellina præſidium agitaturi eſſent. Hoc ſtipendium per continuos tres menſes ſuppeditatum iri. Id quod ingenti fauore à pittago exceptum. In primis, regis benignitas ſummis laudibus elata.

Tunc Tigurini, & Bernenſes illam, quam dixi, cohortem trecentorum militum ſinguli auxilium Rhętis mittere decreuerunt. Singulis cohortibus ab ſe mille coronatos datum iri dixerunt. Nec enim dubitant, quin integri ſtipendij ſupplementum ab aliis fœderatis conferatur.

Paulò poſt ſecretarius Venetus apud pittagum profeſſus eſt, duo millia ducatorum in ſingulos menſes fore adiectionem ei pecuniæ, quę præſidio decreta ſit. At ſi bellum fuerit, Venetos illud ipſum præſtaturos quod

alij fœderati in rem tam neceſſariam contulerint.

Interea Hiſpanica factio, quæ Curię ad omnes occaſiones intenta eſſet, miſſitare nuntios ad cæteras communitates; eaſque vehementer hortari, vt Curiam ſuos milites mittant. Ex hoc inuitatu prodiit ille tot cohortium numerus, quibus & Curia, & propinqua vrbi loca redundarunt. At ipſe eos omnes, quos nobis fidos exiſtimarem, præcipuè tranſalpinos, ne id facerent, dehortatus ſum. Omnes diligenter monui, ne ſuam famam ſeditioſorum hominum contactu collutulatum irent. Dedi quoque literas ad ſenatum Tigurinum, qui, meo monitu, in eamdem ſententiam ſcripſit communitatibus. Aliis modis tentaui, ſi ex illis tot cohortibus vni alicui aut duabus domum vti redirent, perſuaderi poſſet. Hoc exemplo ſeditionem miteſcere poſſe ſpes erat. Verùm ille æſtus tunc quidem tantus fuit, vt,

quò denique euaſurus eſſet, metui faciliùs, quàm mitiora ſperari poſſent. Maior tamen pars communitatum ea ſeditione intacta fuit. E' fœdere quidem Griſæo omnes, excepta Diſentina, Longanezza, & iis, quæ Roshumio parent, quietè egerunt. E' domo Dei quatuor, Prægallia, vtraque Engadina, Poſclauium. E' decem iuriſdictionibus, quod eſt tertium fœdus, vnæ quatuor Curiam iuerant. Non tamen deerant qui exiſtimarent, reliquas quoque omnes Curiam conuocari oportere; vt earum præſentia bonis fiducia, ſeditioſis terror accederet. Melius viſum, ne domo excederent, vſque ad vniuerſæ gentis concilium, quod ad diem tertium Aprilis futurum diceretur.

Per eoſdem dies à furentibus violatũ eſt fas gentium in perſona ſecretarij Veneti. Cùm is in equum aſcendiſſet, vt ſe Tuſium conferret, obuius ei fit militum globus. Hi fræno manu inie-

ĉta, cogunt eum ex equo deſcendere, & in vrbem regredi; vbi militari cuſtodia aliquandiu circumſeptus fuit.

Ad poſtremum, omnes Rhæticæ communitates ſuas cohortes Curiam miſerunt, duabus exceptis, quarum ſoli nuntij eò profecti. E' fœdere Griſæo fuit Mezaucum; E' domo Dei vallis monaſterij. Curiæ pittagum decernit, vti contextus ipſe fœderum pellegantur. Sic ſciri poſſe, ad quarum rerum præſtationem ſe Rhæti obſtrinxerint. Hunc aiunt fore terminum omnium certaminum. Sed cùm duces ſeditionis hinc ſuas artes deprehenſum iri viderent, nec tamen id impedire poſſent, ſubmiſerunt quoſdam, penes quos eſſent falſæ literæ, & his impreſſa falſa ſigna, ſeu ſigilla. Hi inferunt ſe in confertos, & per circulos oſtendunt diplomata, ſiue literas, quas vocant patentes, refertas clauſulis abſurdis, fictis & mentitis. Qua improbitate

confeſtim patefacta, eæ communitates, quarum ea ſeditione intemerata modeſtia fuiſſet, continuò mittunt qui iubeant, ſibi ex archiuo Curienſi Veneti fœderis autographum promi. Quo in medium allato, & lecto, ij, quibus perſuaderi non poſſet, eo fœdere tranſitum Venetis eſſe conceſſum, adgnito, & poſito errore, ſe inturbidis adiunxerunt. Alij obſtinatæ mentis homines, dum eæ literæ recitarentur, de induſtria, aut aliud agebant, aut legentibus obſtrepebant. Factioſiſſimus quiſque iſtis adiunctus per vicos vrbis alta voce clamat, Quicquid ibi ſcriptum reperiatur, nunquam ſe paſſuros, vt Alpes Rhæticæ Venetis pateant. Eas clauſulas, quibus fit mentio tranſitus, falſas affirmant. Et ſe ab iis, qui eas ei fœderi inſeruerint, vt à falſariis, pœnas expetituros atrociter minantur. Illæ tertij fœderis cõmunitates, quas quietè egiſſe initio dixi, hîc cæteris atrociores repertæ.

Die decima octaua Aprilis ſecretarius Venetus ad Curienſem magiſtratum ſuos queſtus detulit. Præſentibus capitaneis, & aliis cohortium officialibus, expoſuit, in ſua perſona ius gentium fuiſſe violatum. Veneti Senatus verbis eos omnes, qui adeſſent, conteſtatus eſt, & meminiſſe voluit, quanta eius iniuriæ atrocitas eſſet.

Iiſdem diebus Tigurini duos è Senatu, Glaronenſes totidem legarunt ad Rhętos. Hi in pittagum inducti, illum ordinem accuratè monuerunt, ne ſuas controuerſias armis terminent. In primis, ne quam fidem fœderatis obligarunt, hanc frangant. Monitis minas miſcuerũt. In eamdem ſententiam apud cohortes orationem habuerunt in ea planitie, cui nomen plarena, haud procul ab vrbe Curia. E cohortibus nonnullæ eis audientiam non fecerunt. Aliæ dixerunt, ab his legatis extorquendum, cuius miſſu huc

venerint. Nec enim Helueticos pagos vllum ius habere in Rhætos. Ipſi legati nullo nec honore, nec vlla comitate excepti Curiæ fuerunt. Nec modò nullum in iis hoſpitale ius eſt ſeruatum; ſed ne eos quidem quiſquam viſitare auſus eſt. Denique, nullo accepto reſponſo, ad ſuos redierunt. Ipſis quidem tunc certum fuit, ea quæ vidiſſent, in proximo Badenſi concilio renuntiare. Ibi enim de rebus Rhæticis actum iri fama erat. Statuerunt quoque rem frumentariam, quæ ex Heluetia in Rhætiam quotidie ſupportari ſolet, ſi quid eius ipſi in patriam redeuntes in itinere offenderent, edicere ne vlteriùs conueheretur, donec remedia fortiora decreto pagorum aduerſus hunc Rhæticum furorem in promptu eſſent.

Cùm omnium Rhæticarum communitatum cohortes, aut nuntij Curiæ eſſent, ſingulæ ſeorſim à cæteris, quid à cunctis fieri, aut decerni vellent, ſcri-

pto complexę ſunt. Omnium denique ſuffragiis numeratis, compertũ eſt, eas quæ in officio manerent, à turbidis, & ſeditioſis quatuor ſuffragiis fuiſſe ſuperatas. Ergo cuiuſmodi illæ iuſſerũt, decretum fit in hunc modum, Nullũ nec delectum, nec tranſitum Venetis permitti. Tribunal erigi iubent nomine Strofrichtum, & iudices in eo ſedere octo & quadraginta. Singulis octo milites attribui. Statuitur, vt hi iudices rerum capitaliũ cognitiones exerceant.. In primis, animaduertant in eos, qui aut iam ſunt in vinculis, aut carceri poſthac mancipati, aut ad iudicem vocati fuerint. In eum iudicum numerum quemquam cooptari vetant, qui aliquod in Repub. munus adminiſtrarit, aut aliquam legationem obierit, aut penſiones acceperit. Quæ res eò pertinuit, vt, experientibus & honeſtioris notæ hominibus excluſis, iudicia ad fæcem redigerentur; quæ ſemel mota nihil agitat, niſi atrox &

ſæuum, certè rapinas, & alienorum bonorum direptiones. Quæ eſt conſuetudo eius factionis, quæ ibi in diſſenſione ciuili præpollet, & ſuperior habetur. Nam ſpecie puniendi noxios in alterius exitium inſiſtit. Id totum nihil aliud eſt, quàm tyrannis inſolentiſſima, cui infelix illa libertas vltro ſe excarnificandam præbet. Nec enim dici poteſt, quanta vltionis libidine mota illic & armata plebs ardeſcat. Huic tanto furori Strofrichtum miniſter eſt, Strofrichto trecenti ſexaginta quatuor ſatellites. Quid multa? Huic potentiori factioni nomen libertatis eſt omnis audaciȩ, crudelitatis, omnium ſcelerum occaſio, & velamen, infirmiori merȩ ſeruitutis nota.

Cæterùm quæ nox proximè ſequuta eſt eum diem, quo legati Heluetici Curia diſceſſerunt, ea cœtibus miſcendis, tum itionibus, & reditionibus, multiſque clandeſtinis conſiliis conſumpta eſt, vſque dum luceſceret.

Tunc aliis, ſi qui quieuiſſent, excitis, vbi omnes conuenerunt, turbidiſſimus quiſque multa diſſeruit in hanc ſententiam, De nihilo Venetis adimi tranſitũ, ſi regi relinquitur. Eum enim à rege Venetis conceſſum iri, vt amicis. Omnia æquari oportere; nec plus vni fœderi dandum, quàm alteri. Ergo Gallicum fœdus eſſe redigendum ad veterem formam, eam, qua primùm cum Franciſco Primo initum fuerit. Nullam tunc tranſitus mentionem factam aiunt. Hac ſententia ſcribitur decretum, bonis mœrentibus, ac triſti ſilentio illa flagitia probantibus. Cæterùm illę communitates, quę integræ, & ſyncerę haberentur, me, & Venetum ſcire voluerunt, Nunquam ſe in tantam improbitatem vnà cum aliis eſſe prolapſas, vt fidem mutarent, quam conſtanter tueri in animo habent. Hæc ſunt earum communitatum nomina, Valteſpurgum, Laxium Foppa, Flemſium, Schęuia, Chopina

Seſamum,

Seſamum, Mezaucum, Prægallia infra portam, vtraque Engadina, vallis monaſterij, Poſclauium, Borgonium, Fruſtenauum.

Die decima octaua Aprilis, vt nullum cuiuſquam eſt in turbidos regimen, ſed quò quemque impetus præcipitem impellit, eò fertur, à quadam horum ſeditioſorum manu temerè conglobata in duos, qui huius tumultus autores perhiberentur, quod mirere, impetus fit. Vtrique manus iniicitur. Vterque in carcerem compingitur. Horum alter fuit Lucius ille Beli, cuius ſupra mentio facta. Huius conſiliis furens & armata multitudo ad ea flagitia accendebatur. Quod magis mirere, à nemine, protectus ab illis ipſis quos in fraudem induxiſſet, trahebatur, Epiſcopo ſuæ iuriſdictioni vim fieri nequicquam queritāte. Hæc enim intra ſeptum murorum Epiſcopatus acta. In ipſum Epiſcopum intentæ atroces minæ. Fortè & ſcriba com-

munitatis Tauoſij, homo minimè malus, à furentibus idcirco compre-henſus non ob aliud, quàm quòd Veneto fœderi ſubſcripſiſſet, continuò dimiſſus. Intra biduum quatuor ſpe-ctatos viros iurgiis adorti, eos coëge-runt dare vades ſiſtendi ſe coram iu-dicibus, quandocunque vocaren-tur.

Eæ communitates, quæ mente, ani-moque nobiſcum eſſent, quòd talium flagitiorum ſpectatrices eſſe cogeban-tur, ne ſuos oculos vltra conſcelera-rent, à ſeditioſorum contactu diſceſ-ſerunt, & ad ſua redierunt; ſuis tamen nuntiis cum illa colluuie relictis; vt ſi armis tunc quidem minus poſſent, ſuis ſaltem ſuffragiis Rempub. iuua-rent. In eo tantùm cum cæteris con-ſenſerunt, vt Strofrichtum eſſet. Sed de loco ambigebatur. Nam Griſæi firmabant, talium iudicum ſedem Ilantium eſſe. At nuntij do-mus Dei Curiam. Vbi, vbi eſſet,

Digitized by Google

negotium erat iis formidabile qui magiſtratum gererent, aut aliquando geſſiſſent. Hic terror, qui quàm plurimos inuaſerat, ex eo edicto multiplicatus eſt, quo cautum fuit, Ne quis, durante Strofrichto, rei ſuæ quicquam venum daret, aut pignori poneret. Nemo honeſtior, aut paulò locupletior quid ſe futurum eſſet, tunc quidem conijcere potuit. Nonnulli erant in expectatione eorum, quæ cuique ſunt extrema.

Mihi ipſi, qui inter eos verſarer, quibus haud magis quàm feris, vllus eſſet reſpectus iuris gentium, præter lõginquos, & proximos amicos, multa ſuadebant, vt me quàm primùm inde euoluerem, vbi conſilio nihil regeretur, omnia temeritati, & crudelitati permiſſa eſſent; & aliquò procul ab oculis furioſorum concederem; ne, in tanta colluuione rerum, dignitatem mei muneris, me-

amque perſonam alicui contumeliæ offerrem. Denique, re attentiùs penſitata, & promptior in ſpem impetraui mihi remanere. Scilicet, ſi ſenſiſſem ad me iri, id quod Curiæ ab Hiſpanica factione agitatum fuerat, proximus, ac tutus mihi erat in ea loca receptus, quorum incolæ noſtri eſſent. Hoc meo conſilio conſtantes in promiſſis communitates, ipſoſque adeò præſidij capitaneos in fide & officio retentos conſtitit.

De hoc tumultu, & quò denique erupiſſet, ad conuentum Badenſem literas dedi. Eoſque patres teſtatus ſum, Gallicum fœdus ab iis fuiſſe violatum, qui ſe hoſtes humanitatis, & iuris gentium ruptores apertè profiterentur.

Non deerant qui tantam vim hominum truculentorum & ſæuorum tam citò conglutinari potuiſſe mirarentur. Sed id ita eueniſſe mi-

nùs mirabitur is, qui cogitabit iſtis, quamlibet in multis diſcordarent, vnum, eundemque finem fuiſſe, vt locupletiſſimum quemque in prædam corriperent. Quò vt peruenirent, primò patrię charitatem ſimularunt. Ab hac improbiſſima ironia ad omnem immanitatem tranſgreſſi ſunt. Vt bonos ſola bonitatis ſimilitudo conciliat, ſic improbos praua ſtudia, & hiantes cupiditates, quamuis diſſitos, citò condenſant. Iam tempus veniſſe dicunt, cùm ſe ſericis veſtibus conſpicuos faciant. Victum agreſtem, & durum molli, ac delicato commutent. Inter homines liberos nullum oportere eſſe fortunarum diſcrimen. Nemini plus opum relinquendum, quàm id, quod tribus florenorum millibus æſtimetur. Æqualitatem rei eſſe verum ſpecimem libertatis. Quicquid plus eo quiſpiam poſ-

ſideat, id in eos, qui minus habeant, diſtribui æquum eſſe. Hæc eſt illis vera, & ſueta tumultuandi cauſa, cui cætera omnia prætexuntur. Ac tunc quidem non iis contenti, quæ antea flagitiosè fecerant, alios inſuper articulos ſcripſerunt in hunc modum, I Vetuſta fœdera confirmentur, & ſeruentur. I I Conſilium ſecretum exturbetur. Poſthac nihil tale in Rempubl. inducatur, ſed antiqua inſtituta in ea vigeant. I I I Gallici capitanei, qui ſunt in Valtellina, dimittantur. IIII Penſiones principum extraneorum nemo accipere audeat. Quas priuati accipiunt, eæ in commune conferantur. V Neutrius religionis myſtæ ſe rebus politicis inſerant, niſi ſi cuiuſpiam conſilium exquiritur. Neque communitatum conuentibus interſint. V I Cohortes pro Veneta Repub. ſcriptæ patria non excedant. Qui ſe-

eus ſaxit, in hunc, præter amiſſionem honoris, & fortunarum, capite anquiratur. VII Qui læſæ, & proditæ Reipubl. rei ſunt, hi iudicio Strofrichti pœnas, quas meriti ſunt, luant. VIII Nullus eorum, in quos nunc ſunt exulceratæ ſuſpiciones, exeat è patria. Nihil ſui quiſquam auferat, neue quid arraboni det, donec omnia iudicia conſummata fuerint. IX Nuntiis communitatum, quoties ad conuentus mittuntur, ne liceat eam, quam quiſque voluerit, orationem habere. Sed eò ſuæ quiſque communitatis ſuffragium in ſcriptis deferat. Quicquid ibi decretum fuerit, id quoque ſcripto comprehenſum ad ſuos referat. Hæc iubent eſſe rata, fixa, perpetua; & adiici iis, quæ antea nefariè, & flagitiosè decreuerunt. Quæ ne variari poſſint, à ſingulis Triumuiris ſigillum cuiuſque fœderis extorquent. Singula ſuis

litionem, eorum qui in carcerem rapti fuiſſent, liberationem, confirmationem earum literarum, quibus inditum nomen trium ſigillorum; quibus edicitur, ne quis, iniuſſu communitatum, arma capiat. Hoc vbi reſciui, non potui ſatis mirari, quid ita nulla ruptorum fœderum ab hac tam ſolenni legatione mentio fieret. Quid ita ij, qui tantis animis minora, & leuiora tractarent, ſilentio ttanſmitterent ea, in quibus omne rerum momentum eſſet. Quapropter ad eos per interpretem regis literas dedi, quibus rogabam, vt eius amicitiæ reſpectu, cuius vinculo rex, & vniuerſum nomen Helueticum conſtringuntur, velint Rhætos admonere eius fidei, quam ſacramento ſanxerunt. Quibus rationibus id probè, & vtiliter facerent, eas ſingulari ſcripto comprehenſas, & interpretatas literis addidi. Sed nequicquam. Reſponderunt, huiuſmodi res gradatim tractari

oportere. Vbi illa tria impetrauerint, ſe hoc acturos. Vſque eò prę liberatione duorum, qui, ob læſam publicam maieſtatem, paulò poſt capite pœnas dederunt, ab iſtis fœderum violatio in leui habita. Sed, vbi compertum eſt, quinque pagorum impulſu eam legationem ad Rhætos fuiſſe miſſam, omne id negotium tam fœdè tractari prudentiores mirari deſierunt. Satis conſtitit, tunc quidem eos pagos conueniſſe cum Hiſpanico legato, & in ſe recepiſſę, in generali conuentu Badenſi, qui eam legationem decreturus eſſet, nullam de ruptis fœderibus, nec de tranſitu factum iri mentionem. Ea certè legatio, vt Heluetico nomine indigna, & Hiſpanicæ libidini ancillans probris vbique lacerari cœpta. Cur, vno ore omnes quieti, ac turbidi pariter inquibant, cur, inquam, petitur, vt Strofrichtum nullum ſit? Cur non potiùs, vt in illud non alij,

quàm viri probi, & experientes eligantur? Quid publicæ vtilitati inimicius dici poteſt? Cur poſtulatur, vt patriæ proditoribus ſua ſcelera impunè ſint? Annon palàm eſt, id iſtos agere, ne à comprehenſis extundi poſſit, quo autore, & quibus conſciis in patriæ perniciem inſurrexerint? Hos tamen ſingulari Dei permiſſu in carcerem fuiſſe compactos. A quibus? ab illis ipſis, quibus plures illorum miſti eſſent, quos ipſimet ſeditionis duces è quietis turbidos feciſſent. Non abolitionem Strofrichti petendam fuiſſe, ſed, vt ſpecies eius, quæ ſit atrox, ac truculenta, meliori mutetur, ea, in qua & ſtrictum ius, & ęquitas pariter emineant; illa ipſa, in quam omnes communitates conſenſerunt, & cui nomen reformationis indiderunt. Æqua, & vniuerſis grata poſtulatio fuiſſet. Omni quidem tempore & loco, & inter omnis generis homines iuſtitiam regnum obtinere rerum humanarum ratio po-

ſtulat. Verùm ſi ſe ipſa nunc rebus Rhæticis ſuo præſenti numine non interponat, ſalutem vniuerſæ gentis eſſe deploratam omnes boni conſenſu fatebantur. His etſi nulla nec prauitas, nec impudentia contradicere poterat, nihil tamen Heluetij tam flagranter vrgere inſtiterunt, quàm ne diutiùs illi, quos propugnatum veniſſent, in vinculis haberentur. Hinc quoque fides facta, non his tantùm, ſed iis omnibus, qui proditionis arceſſerentur, hoc tam iniuſto & ſuperbo poſtulatu impunitatem quæri. Cęterùm literis trium ſigillorum tunc quidem communitatibus nihil dici potuit quod vehementiùs odiſſent. Scilicet, eas literas dicebant eſſe inuentum illorum primorum, qui omnes machinas deſtruendæ populorum libertati conquirant. Nec enim communitatibus aliam reliquam eſſe rationem reprimendi audaciam, & ſcelera hominum improbiſſimo-

rum, quàm vim apertam. Quod ius ſi populo ſemel ademptum fuerit, actum, ſcilicet, eſſe de libertate, quam illi nullo metu pœnæ nunc vendere, nunc opprimere pergant; nedum vt illas pœnas metuant, quas ſe iamdiu meritos intelligunt. Denique Heluetiis liberrima indignatione reſponſum his verbis eſt, Nobis certum eſt, nihil eorum facere, quæ dixiſtis. Poſtridie eius diei, quo hęc acta ſunt, illi ipſi Heluetici legati dederunt ſe in viam, vt adirent communitates, ſiquid ab eis æquius impetrari poſſet. Iamq; ad vrbis Curiæ forum peruenerant, cùm eos armata multitudo circumſtetit; quam legati, qui equites eſſent, facilè perruperunt. Iamque proceſſerant vſque ad portam, vbi catenam extranſuerſo tenſam aduerterunt, quę equitibus exitum occluderet. Cùm iſti id agerent, vt eam, citatis equis, tranſilirent, de repente demiſſa fuit. Et omnes tranſierunt incolumes, etſi

ter infenſas haſtatorum cuſpides, quæ hinc inde in tranſeuntes conuerſæ fuerant. Ilantium iuerunt. In eo oppidulo fauore plebis excepti ſunt, quæ eos ad alia veniſſe falſò exiſtimabat. Quippe de ruptis fœderibus eam legationem miſſam fuiſſe rumor erat. Inde perrexerunt ad Diſertinos, & Longanezzios, à quibus nec hilarè, nec beneuolè fuerunt excepti, atque adeò ſine vllo reſponſo dimiſſi. Curiam tunc quoque venit legatio Maximiliani Archiducis, per quęſitam neſcio quam ſpeciem, re, vt adeſſet alteri reorum, qui eſſent in vinculis, ei, cui nomen Beli. Erat enim ab Archiduce iis locis præfectus, in quibus is habet vtile dominium, etſi ſunt in tertio Rhætico fœdere. Propalàm hi legati dixerunt, ſe à sereniſſimo Archiduce eò miſſos, ſciſcitatum, Annon ipſis in animo ſit ſtare paci, quam ipſe ſeruet. Altero loco poſtularunt ſibi dici, An publico conſilio, an priuato alicui datum fue-

rit, vt is Beli conderetur in cuſtodiam. Certè eo facto apparere, pacem rumpi. Tunc omnibus perſuaſum fuit, Auſtriacam, & Helueticam legationes in Rhætiam veniſſe inſtinctu quorumdam Rhætorum, qui metu Strofrichti Ragazzum conceſſerant. Fuerunt illi primores, de quibus dixi. Quippe hi cum legatis Helueticis ad ſua remeantibus Ragazzij conuenerant, id ſtruentes, vt de his rebus omnium pagorum concilium Badę haberetur. Iſti vt Ragazzum proficiſcerer mecum accuratè, multiſque precibus egerunt. Illà Auſtriacos, & Helueticos legatos redituros dixerunt; & hanc mihi dari egregiam opportunitatem agendi cum ipſis de ſumma re. Negaui mihi quicquam eſſe negotij cum iis, quorum aduerterem nullum, qui regiæ cauſæ fautum vellet. Proinde remitterent me hoc rogare. Cùm non parcerent me vrgere, pernegare inſtiti me eò iturum, vbi fierem ſpecta-

tor eorum, quę agerent illi, qui nulla re fidem facerent, ſe noſtris iniuriis commoueri.

Paulò poſt, ex eo Badenſi conuentu, quem futurum dixi, datę fuerunt ad Rhætos literæ, quibus Heluetij cum ipſis grauiter expoſtulant, quod ſuis conſiliis non obtemperauerint, ea potiùs contempſerint. Quid? inquiunt, An aſperiùs vobiſcum loquamur, an illa comitate, & beneuolentia, qua vſque adhuc vobiſcum egimus? Vos quidem vtram rationem ſequamur, nos dubitare cogitis. Nihilominus tamen adhuc ſemel certum eſt experiri, an tot documenta noſtræ erga vos beneuolentiæ ad vos flectendos aliquid momenti habitura ſint. Nec enim deſperamus, quin meliùs quàm vſque adhuc feciſtis, oculos aperiatis. Exponemus vobis, quo ſtatu res veſtræ ſint, vt, eo cognito, ńunc ſaltem ſalubrius conſilium admittatis.

Dicimus, à vobis eſſe diſcurſum ad

arma;

arma ; & omnia ſeditione turbata , & quidem aduerſus præſcriptum eius conſtitutionis , quam vniuerſi operoſè condidiſtis. Hac ſcitis cautum eſſe, ne quæ communitas , aut vllum conciliabulum , aut quiſpiam priuatus excitet vllum motum , & arma capiat. Qui ſecus faxit , eas pœnas luat quæ in ſacroſancti iuriſiurandi violatores , & hoſtes nominis,& exiſtimationis Rhæticæ ſanctæ ſunt.

Aduerſus eãdem cõſtitutionem emer- 11
ſit illud Strofrichtum truculẽtum,quo immunitates, ſummumq; iſtius Reip. ius, & autoritas, tum iura priuatorum non ſolùm mutantur, aut minuuntur, ſed & abolentur. Veſtris magiſtratibus omnis iuriſdictio erepta eſt. Ius ordinarium omnibus denegatur. Rhæticis tamen legibus non neſcitis , cautum eſſe, ne quis ſui loci iuriſdictionem defugiat, ſed ea ſit contentus , ſub qua larem poſuit. Iiſdem legibus iuberi, vt omnis generis controuerſię amicè,

& è iuris præſcripto terminentur, & quidem per arbitros, & eos quos vocant ſuperarbitros, aut per proximam communitatem. Ne hîc memorentur iniuriæ, omneque genus feritatis & violentiæ, cuius illi iudices ſunt improbi miniſtri; quos tam aduerſus indigenas, quàm exteros ius ad libidinem ſuam nundinari conſtat.

III Fœdera, quæ maiores veſtri fecerunt, in quæ vos ipſi iureiuraſtis, reſcinditis. Iis quicquid vobis collibitum eſt, detrahitis.

IIII Belli præfectum, qui ſiſtendi ſe in iudicio vades daturus eſſet, excluſiſtis iis immunitatibus, quę ſacri imperij legibus continentur. Et quidem contra fœdus hæreditarium, & perpetuum, quod vobis eſt cum sereniſſima domo Auſtriaca.

V Grauiter peccaſtis in illa, in quæ vniuerſi conueniſtis, quæ & ipſi obſignaſtis, & ſolenni ſacramento ſanxiſtis. Has vocatis literas reformatio-

nis, editas anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, quibus forma iudiciorum prçſcribitur, ſanè multò præſtantior illa, quç nunc apud vos in vſu eſt.

Deo reſiſtitis, eiuſque præceptum infringitis, dum aduerſus magiſtratum veſtrum infeſti inſurgitis. VI

Iſthic non modò nullus regiarum, principalium, Helueticarum legationum reſpectus fuit, verùm etiam legatos contemptos verbis contumelioſis excepiſtis. In quoſdam etiam iniurij fuiſtis. Atque adeò ſunt quos vi retinuiſtis. Quæ eſt immanitas vbique gentium inaudita. In his quidem omnia iura mundi, & omnia iurata fœdera euerſum ire non dubitaſtis. VII

Qui apud vos ſemel in ius vocati fuerint, ſi non ſe illico coram iudicibus ſiſtere poſſunt, inauditi, nedum defenſi, aut conuicti damnantur vt contumaces. Hoc pacto honeſtiſſimus quiſq; apud vos vita, & exiſtima- VIII

tione, quamlibet innocens, periclitatur.

IX Contra pacem generalem, & fœdera Heluetica, & aduerſus omnimodam vltro & citroque commeandi libertatem, quæ vniuerſæ gentis noſtrę propria eſt, iuſſu veſtro itinera obſidentur, & quidem, vt res autor dari poteſt, in aliena terra. Ibi peregrè euntes excutiuntur, literę intercipiuntur, tranſeuntes capiuntur.

X Aduerſus omnia prę ſcripta pietatis, & conſcientiæ obnitentes, contra omnem politicam rationem, contra omnes conſtitutiones magni ſcandali autores extitiſtis, peſtilenti exemplo vicinis ſubiectis ad rebellionem itinere monſtrato. Eos docuiſtis eſſe refractarios, & ordinarij magiſtratus contemptores.

An hęc deceant viros bonos, An per has tam frequentes immanitates concordiæ, paciſque bona conſequi poſſitis, An his artibus libertas conſeruari

poſſit, vobis ipſis exiſtimandum relinquimus. Ne multa, ex iſtis moribus tam contaminatis vniuerſi plurimum mœrorem contraximus. Iam omnes his tam frequenter videndis feſſi ſunt. Nemo iſta diutiùs ferre poteſt. Quod ſi cui veſtrum vlla ſui reliqua cura eſt, hoc certè tempus monet, vt vniuerſę gentis veſtræ tandem aliquando aliquam rationem ineatis. Cuius rei hoc documentum fuerit, ſi bona conſilia admiſeritis; nec ea, vt vſque adhuc feciſtis, flocci feceritis; quę tamen nòn aliò ſpectãt, quàm vt veſtra vobis libertas integra, & illæſa maneat, eamque extremo loco, quo nunc eſt, ereptam, & in tutum receptam videatis. Cæterùm quidlibet facere quod cuique in mentem venit, nulla reputatione iuris, & æqui, nequaquam libertas dici debet. Libertas eſt, pacta & fidem tam conſtanter tueri, vt nulli ſuum ius adimatur. Nec eſt detrimentum libertatis, ſalutaribus conſiliis obſequentem

ſe, facilemque præbere; potiſſimùm quoties obtemperantis & morigeri ſumma res agitur. At ſi ea contempſeritis, eam vobis ſcitote certam perniciem fore.

Quamobrem, cùm nullis monitis vos quidem locum reliqueritis, nec Heluetia iſtam confuſionem ampliùs æquis oculis intueri, nec diutiùs iſta veſtra ferre poſſit, quæ proficiſcuntur ab iis, qui ſe fœderatos ferunt, haud ſanè magis, quàm maiores noſtri, qui talium indignitatum intolerantes fuere, Nos nomine, & iuſſu cunctorum pagorum, & vniuerſi nominis Heluetici, à vobis primo loco poſtulamus, vt iſtud maculoſum, & inauſpicatum Strofrichtum profligetis. Similiter eius acta iudiciaria, delationes, ſententias, exequutiones, quicquid huius generis eſt nunc quidem inductum, in aliud tempus differatur.

Qui carcere detinentur, hos, nullius interpoſitu moræ, ſi vades dederint,

emittatis. Super hiſce duobus poſtulatis noſtris quid ſententiæ ſitis, petimus vt ad ſenatum Tigurinum per literas reſpōſum intra diem viceſimū quartū Iunij, per illum ipſum, qui vobis has reddidit, mittatis. Id reſpōſi tam dilucidè ſcriptum ſit, vt inde nobis liqueat, an ita ſitis animati, vt his rebus acquieſcatis, necne. Hoc nobis dici, hoc è vobis ſcire volumus. Quippe ſi eſt, vt noſtræ petitioni ſatisfacere, & priora malè conſulta corrigere in animum inducatis, conſtituimus nos quidem legare ad vos aliquot viros probos, & amantes pacis, tum omnis humani iuris conſultos, qui, vnà vobiſcum ea decernant, quorum ope veſtra concordia reuocetur, pax item ſtabiliatur, libertas deniq; veſtra ita muniatur, vt labefactari, nec tam horribili confuſione poſthac inuolui poſſit. Poſtremò, qui pœnam ſunt commeriti, in hos legibus animaduertetur, & quidem à legitimo, & ordinario magiſtratu.

Eâdem ſumptuum tanta æquitate ratio habebitur, vt nullum veſtræ libertati præiudicium hinc vobis metuendum ſit. Cuius rei has literas vobis volumus eſſe pro ſponſione, vt ſi ſint eæ, quibus nomen eſt reuerſalibus. Quæ ſanè omnia huc tendunt, vt ab iſto, quo eſtis, peſſimo ſtatu, in meliorem reduces fiatis. Quod bonum adipiſci non poteſtis, abſque ope, & adiutrice manu eorum, de quorum propenſo erga vos animo nullus vobis dubitandi locus eſt relictus.

Hæc ſi facere abnueritis, aut ſi nullum nobis reſponſum miſeritis, id quod apud nos pro eo futurum eſt, ac ſi vos nobis morem geſturos negetis, Scitote, nos quibus modis ad amplectendam æquitatem cogi poſſitis, eorum nullum eſſe prætermiſſuros. Qua de re iam captum conſilium eſt. Enimuero abundè cognituri eſtis, legatis noſtris, qui ad vos profecti ſunt,

id poteſtatis fuiſſe datum, quod ſatis eſſet ad ea exequenda quæ fecerunt; quamuis de eo iſti veſtri iudices dubitare viſi ſint. Hinc quoque intelligetis, quàm illi ſint homines nihili, qui Helueticam autoritatem, & potentiam contemptui opportunam ducunt. Eâdem experiemini, nobis non minus eſſe animi, quàm maioribus noſtris, qui quandoque ad oppreſſos ſubleuandos, & ad contundendam ſeditioſorum temeritatem fortiter & animosè conſurrexerunt. Verùm, dum res integra eſt, his malis obuiam ite; & hiſce monitis, adhortationibus, obteſtationibus noſtris, quæ ab optimo animo proficiſcuntur, parere in animum inducite.

Rurſus Deum Opt. Max. & cunctos mortales teſtes aduocamus, nos veſtrorum malorum nullam culpam ſuſtinere. Quin, haud mediocri dolore affici propter eos, qui inter vos probi ſunt, quorum intuitu vobis vſque

adhuc parcitum eſt. Hęc adhuc ſemel, & hac vice vos ſcire volumus; illud in primis. Vobis & ſtudia, & amicitiam noſtram nullo nec loco, nec tempore defuturam. Deum oramus vt, omni diſcordiæ cauſa ſublata, vos incolumes eſſe velit. Dat. die XIIII. Iunij 1607.

Alias inſuper literas dederunt ad Strofrichtum in hanc ſententiam, Mittimus vobis exemplum earum literarũ, quas dedimus ad omnes trium fœderum communitates. Ex iis cognoſcetis, quo pacto ſimus erga vtramque partem animati. Vos hortamur, & monemus, pro noſtris fœderibus ſacramento ſancitis, & pro eo, quanti facitis amicitiam Helueticam, ne pergatis ea facere quæ vſque adhuc feciſtis. Neque quicquam tentetis, vſque dum à communitatibus reſponſum acceperimus, & quid ſuper his rebus ſententiæ ſimus, vos quoque vberiùs cognoueritis. Dat. Badæ die XIIII.

Iunij 1607.

Vt ſanè vehemens, & ſeuera hæc obiurgatio, ita genti Rhæticæ ſalutaris futura fuerat, ſi ab optimo omnium pagorum animo pariter, & Rhætis amico profecta eſſet; ac proinde ſi non dubia certis, ſi non veris falſa miſcuiſſet. De ſeditione, de immanitate Strofrichti, de fœderibus interpolatis, de legatis violatis, de inauditis, & indefenſis præcipitanter damnatis, de itineribus inſeſſis, de peſſimo exemplo, quo vicinia ad rebellionem concitatur, ea quæ Rhætis exprobrant, nimirum omnia vtinam non vera. Sed permultùm intereſt, quo quiſque animo quidque faciat, aut dicat. In iis quidem literis opera ſeruilis aduertitur, quam nimio plures ſuæ libertatis hoſtibus dare non dubitant. Cùm de diremptis fœderibus agunt, in re tam atroci nè auſi quidem ſunt nominare fœdus Gallicum, multoque minùs Venetum, ne cuiuſquam aures ea

nuncupatione verberarent. Illud in primis aduertendum, quod illi Beli, & illi alteri, qui patriæ proditæ arceſſerentur, qui ſeditionis duces & autores eſſent, ſi modò vades darent, fores carceris non aperiri, id verò maiorem in modum indignantur. Perinde ac ſi in crimine læſæ maieſtatis quiſquam aut ſua, aut ſponſorum fide apud vllas gentes dimittatur. Nimirum, ſatis apparet, hos hac tam vehementi flagitatione, tantaq; ob rem non impetratam indignatione illis vnis & fautum, & cautum voluiſſe, quorum crimina propter ſimilitudinem non deeſſent qui ſua ducerent. Omitto iuſſa herilia, & omnia aſperè & minaciter poſtulata, prope. dixerim imperata. Cui? genti conterminæ, ſociæ, & fœderatæ, quæ in nullius mortalis ditione eſt. At libertate effręnatiùs abutitur. Sit ita ſanè. Annon ipſamet ab ſe ſuę cõfuſionis ſatis pœnarũ exigit? Num idcirco ab amicis, & fœderatis ea vis morbi

grauiori morbo cōpeſcenda? Annon moræ aliquid dandum fuit, donec, ira detumeſcente, reſipiſceret? Sed, quid ſibi volunt, cùm dicunt, præcepto Dei reſiſti ab iis, qui in magiſtratum inſurgunt? Ecquem hîc magiſtratum ſomniant, niſi illos ſuæ patriæ infenſiſſimos primores, quorum crebris prauitatibus res Rhætica afflicta eſt? Qui cùm delictorum conſcientia populum timerent, in Heluetiam exulatū abierant? Horum nullus tunc, quod ego meminerim, vllum magiſtratum geſſit. Omnes fuerunt priuati. Scio ipſos per vaniloquentiam tunc ita dictitaſſe, ſe magiſtratum à furente multitudine expulſos; vt ſi is expulſus dici debeat, qui metu quæſitionis, & pœnæ ſolum vertit. Si dixiſſent, ſibi, etſi non hunc, aut illum magiſtratum gerunt, magiſtratus dignationem accedere ab ea rerum cura, quæ cuicunque incumbit, hunc oculum Reipub. aut mentem meritò dixeris, videant, ne, quan-

tum ad ipſos pertinet potiùs dici decuerit, peſte & perniciem.

Satis conſtabat, Heluetios propter ea, quę in ſuos legatos contumelioſè commiſſa fuerant, in Rhætos vltionem ſeriò meditari. Cui vindictæ illi Rhętici primores, vt ſuę quoque conſulerent, continuas faces ſubdebant. Sed quod illa Heluetię columina, & magiſtratus penetrauit, is fuit metus, ne tam dirum ſeditionis exemplum è Rhætia, veluti contagio traiiceret in Heluetiam. Iam inaudiri cœperat, Strofrichtum conſultare de legatione Tigurum mittenda ſciſcitatum an illa Heluetica legatio conſenſu, & permiſſu populi in Rhætiam miſſa eſſet. Id quod eò ſpectabat, vt populus Helueticus in eamdem cauſam traheretur. Certè is rumor ab iis ortus qui talia moliebantur, iam in agrum Tigurinum peruenerat.

Interea Strofrichtum quà cœperat, pergit. Id vnum ibi agitur, vt è multa-

titia pecunia ingentes illi ſumptus, qui ab illis iudicibus, eorumque ſatellitibus tunc fiebant, tolerari poſſent. Siquid reliqui eſſet, ea, ſcilicet, deſtinata, & parata prędα fuit iis, qui huic motui cauſam dediſſent.

De cætero, reis ad Strofrichtum vocatis multas indici magnas, & ipſi boni non mediocriter lętabantur. Tantum odij, & irarum in illos primores vniuerſi pectoribus fouebant.

Per eos dies, re inter Pontificem & Venetos tranſacta, Fuentanus, Italici belli ſpe, & expectatione poſita, ſuis militaribus copiis miſſionem dederat, in his Germanico perditatui. Hi, itinere in patriam inſtituto, per lacum Larium rectà pergebant in Rhætiam. Primò ad ducentos excenſionem fecerunt in eo loco, cui ex re nomen Ripa. Cùm non crederentur eſſe plures, ęis vt liberè tranſirent, permiſſum. Verùm multò maior manus confeſtim in nauibus conſpecta. Hi nullis

præter gladios armis prędití aſpiciebantur. Præterea nuntiabatur, plura nauigia pone iſtos eſſe, quæ nullo ſtrepitu ſequerentur, & quidem armis grauia.

Enimuero milites præſidiarij idcirco ad foſſam tranſuerſam tunc feſtinanter diſpoſiti fuerunt, eam quæ antea in aditu Valtellinę ad multos pedes depreſſa, & ad multam longitudinem perducta fuerat. Ad has quoque naues miſſi ſunt qui pronuntiarent, eà tranſitum datum iri nemini. Ab ſe cohors, quę Clauenę præſidium agitaret, vnà cum oppidanis, qui arma rapuiſſent, illud ipſum nuntiari iubet. Ergo Germani alios tramites, quà in patriam, remearent, ſcrutati ſunt. Hoc pacto fraus, ſi qua ſubeſſet, eluſa.

At Curię ille Strofrichti conſeſſus, illis partibus deditus & obnoxius, quarum ſtudiis eam tantam poteſtatem accepiſſet, nulla ſeruata iuris formula, ſed inſigni feritate in illis cognitioni-

bus

bus agebat. Inde ingẽs terror in omnes, eos præſertim diſperſus, qui, nolente, aut non propitia multitudine quidpiã publici negotij aliquando attigiſſent.

Porrò quonam artes, & externa pecunia perrumperet, ex eo intelligi potuit, quod pro iis reis, qui carcere attinerentur, nulli pugnaciùs cauſam dicere perrexerunt, quàm qui ad eam rem à Fuentano, & ab illis primoribus ſubmitterentur. Sed, poſtquam nulla ſpes reliqua fuit, poſſe illos, & vadibus datis, emitti, alteri eorum, cui nomen Gaſpar Baſelga, venenum in offa datum, vt morte repentina, & nullis editis conſciis, occumberet. Sed, re deprehenſa, illico datum eſt ei antidotum, cuius hauſtu veneni vis diſcuſſa. Ipſe in inferiorem carcerem abditus.

Cùm omnia in Rhætia ſic irent, vt nullus tot malis finis futurus videretur, eæ communitates, quæ de Repub. ſeorſim ſentiebant à ſeditioſis; quas harum furori concedere coactas Curiã

diſceſſiſſe dixi, quà armatæ, quà per ſuos nuntios Curiam redierunt. His vt animi creuerant, certè experrectiores, & confirmatiores factæ exin bonę cauſæ non defuerunt. Quippe quòd viderent iam tempus adeſſe, quo omnes boni, agmine facto, impios ſeditioſorum conatus reprimere audeant. Et hæ quidem vt tunc Reipub. curam animosè ſuſceperũt, ita ſe infamia exemerunt, & vniuerſæ gentis exiſtimationem illibatam ſeruarunt. Ex quo intelligere licet, quantum dedecoris multorum prauitas vniuerſis imprimit, tantum laudis paucorum virtutem toti genti addere. Enimuero in hanc partem ſemper virtus & potior, & potentior eſt, quàm in illam alteram vitium. Hæ igitur communitates ad Tigurinum Senatum literas dederunt quibus Heluetico nomini ſingulares gratias agunt, ob eius in Rhætos animi propenſionem, eoſque tot labores, & moleſtias, quas in gratiam ami-

Digitized by Google

cæ,& fœderatæ gentis pertulerunt.

Cæterùm ſe ad præſens in id vnum intentas eſſe, vt ea, quæ vſque adhuc tam turbida, & incompoſita fuerunt, in meliorem ſtatum vertantur, ac Strofrichtum aboleatur, eiuſq; acta reſcindantur. Cui rei perficiendæ ſi ipſæ ſint impares, tunc ſe pagorum auxilium imploraturas. Duo eſſe, quæ nullius mortalis iudicio permittere poſſint. Priori loco ſunt fœdera, quæ, vt rumpuntur, aut ſeruantur, proinde vniuerſæ gentis fama eſt. Altero negotium eorum, qui è vinculis cauſam dicunt. Cùm enim iſti læſę publicæ maieſtatis & proditionis rei ſint, ſibi deſtinatũ eſſe, vt in ſontes quęſtio exercitetur more maiorum. Volunt Heluetiis perſuaſum eſſe, nullam eis iniuriam, aut vim illatum iri. Igitur confeſtim harum Communitatum coactu Strofrichti iudices, omni alio negotio omiſſo aut dilato, de duobus reis quęſtionem habuerunt. Id quod quò temporiùs, &

ſynceriùs fieret, eæ Communitates è ſuis nonnullos in illum iudicum conſeſſum, de quorum probitate ſibi compertũ dicerent, cooptari iuſſerunt. Gaſpar Baſelga prior ad quęſtionem tractus. Ab hoc ordo ſceleris tormentis patæfactus eſt. Deinde cõpoſitus cum Beli illa ipſa, quę in tormentis dixerat, rata habuit. Certè ipſum Beli tergiuerſantem conuicit. Is quoque Beli primò obſtinatè omnia negare. Sed cùm poſt perlatam primam vim tormentorum, iudices nihil de ſeueritate remitterẽt, illa ipſa exprompſit quę Baſelga, atq; adeò plura, & maiora, vt qui pluribus, & maioribus negotiis adhibitus fuiſſet. Vterque quicquid in carcere cõfeſſus fuerat, in eius veritate perſeuerauit vſque ad ſuppliciũ capitis, quod de vtroque ſumptum, de Baſelga die xiv de Beli xvj Iulij. Quæ ex vtriuſque cõfeſſione elici potuerunt, hęc ſunt, Vetuſta quędam diplomata, quibus fides ſit, Epiſcopatum Curienſem, & quic-

quid eius eſt, eſſe in clientela ducatus Mediolanenſis, Fuentanum firmare eſſe penes ſe. Id quod ſi anteacto tempore minùs obtinuit, nunc ipſe ad rem conferri oportere dicat; æquumque cenſere vt episcopus nomine clientis, ſeu vaſſalli ſe, & ſua iuris Mediolanenſis faciat. Cæterùm ea, quę episcopus ſuę ditionis eſſe firmat, ſi ei creditur, tantam Rhęticę regionis partem occupare, vt, quę reliqua eſt, præ hac futura ſit exigua. Quod negotiũ vt ad exitum perduci poſſit, eos, qui Hiſpano operam dant, omni ope id acturos, vt religio proteſtantium è Rhętia exturbetur, & in eam Mediolanenſe fœdus, & autoritas inducantur. Huius rei procurandæ, & promouendę ipſum Beli miniſtrum fuiſſe; cuius manibus, haud ita diu, in aliquot communitates multa pecunia diuiſa fuerit.

Eadem ratione multos priuatæ conditionis homines tentatos, & indu-

ctos, qui hos tumultus facerent, fœdera rumperent, promiſſa tranſitus abolerent Vtrumque obnoxiè omnia feciſſe, vt res ad hanc ſeditionem perduceretur. Eorum, quæ ſequuta ſunt, ſe quoque reos eſſe vterque confeſſus eſt. Et quidem de arce Montechij, ac de Mediolanẽſi fœdere rem omnem, vt eſſet, vterque expoſuit. His addiderunt nonnulla eiuſdem generis vetuſtiora, & altiùs repetita, quæ præfecti Mediolanenſes iam diu in Rhæticam libertatem moliri cœperint. Tũc verò qui ſe ab his indicatos, aut accuſatos fuiſſe vel leuiter odorati ſunt, continuò ſolum verterunt. Hoc fuit primũ facinus illius Strofrichti, quod hæ, quas dixi, communitates non totum, ſed ex aliqua parte ab ſe reformatum falſò exiſtimarunt.

Ipſæ communitates, cunctis ſpectantibus, concerpſerunt eos codicillos, quibus continebantur illi articuli, de quibus ſupra memoraui.

Illos dico, qui Curiæ ab Hiſpanica factione conſcripti, & in vulgus diſperſi fuerant, quibus & fœdera rupta, & promiſſum tranſitus expunctum. Fœdus item Mediolanenſe eædem communitates comminuerunt, & obliterarunt. Totum illud Strofrichtum abolere, & in eius locum aliud ſufficere agitarunt. Sed inchoatæ, non perfectæ rei laude contentæ, quò acriùs incœperant, eò languidiùs deſierunt.

Has ego communitates, quæ Curiæ ſtrenuè rem gererent, tunc admonendas putaui eorum, quæ ad me perlata fuerant, quæ talia eſſent, vt, non neſciri publicè plurimùm intereſſet. Rogarunt me, vt ad ipſas propiùs accederem, quò plures, atque adeò omnes me loquentem exaudire poſſent. Vt eis morem gererem, veni ad plarenam. In itinere cohortium duces, & officiales ad quinquaginta in equis obuios habui cum militibus moſcheta-

rijs ad ſeptingentos, qui in orbem diſpoſiti me medium ſtatuerunt. Ergo circumfuſos ſalutaui verbis regis. Deinde ipſis de eo gratulatus ſum, quòd rupta fœdera reſtituiſſent, & alia nefariè acta reſcidiſſent. Omnes commonefeci, vt memores, & imitatores auitę virtutis ęſtimarent, quàm firmũ Rhęticæ libertati præſidium Gallicum fœdus ſemper fuiſſet. Ipſos prouidenter facturos, ſi nullius improbitate, atque artibus id ſibi patientur extorqueri, ſed Gallicam amicitiam ſibi antiquiſſimam ducent. Iis Deum adeſſe, qui diuini, & humani iuris reuerentes fidem ſanctè colunt, & promiſſorum religionem, vbi opus eſt, præſtant. His artibus amicitias ali, & fœderatos ad ſuppetias ipſis ferendas efficaciter inuitari. In his regem, de cuius in Rhæticã Remp. beneuolentia non dubitent. Id potiſſimũ accurent, vt iuſtitia libertatẽ tueantur, ac ſtabiliant. Vnde hæc ſummota ſit, ibi non cenſeri eſſe homines,

ſed gregem immanium ferarũ. Iuſtitiæ comitem addant clementiam. Quippe nimia vltionis cupido non minùs quàm iniuſtitia intelligitur eſſe rebus publicis & feralis, & luctuoſa. Hanc impotentiam ſi ſtudioſè vitabunt, nihil publica maieſtate indignum admittent. Ab ipſis impenſè petij, vt in iis rei gerendæ occaſionibus, quibus me adiutore vti poſſunt, ne mihi, ne labori meo parcant, quem, mandatu regis, ipſis vniuerſis libenter impendo. Eos quoque hortatus ſum, vt paucos eligerent, quorum fidei credi poſſint illa, quæ ipſos ex me cognoſcere nonnullum operæ pretium duxi. Hæc, cùm ad ſuburbium acceſſiſſem, iis, quibus hęc prouincia data, expoſui. Ille quidem dies, qui fuit decimus nonus Iulij, his rebus abſumptus eſt.

Etſi pagis Helueticis abundè ſatisfactum videbatur iis literis, quas ad ipſos à ſtrenuis, quas dixi, communitatibus datas fuiſſe memoraui, nihilo-

minus tamen ex Heluetia alia in Rhætiam legatio per eos dies eſt profecta. Hinc ſciri potuit, ſuper rebus Rhæticis plura conſilia apud Heluetios habita fuiſſe; nec pagis per eas literas fuiſſe ſatisfactum, quas ad eos bonæ illæ, quas memoraui, communitates dediſſent. Iſti Heluetici legati, qui tunc eſſent quatuor, cùm poſtridie eius diei, quo ad Curiæ ſuburbium acceſſeram, mane veniſſent ad me, mihi ea, ad quæ miſſi ab ſuis eſſent, ſingillatim expoſuerunt. Primo loco dixerũt, ſe petere à Rhætis, vt deinceps nullus neque Strofrichto ſit, nec eius ſatellitibus locus. Hac ratione ſumptibus parci poſſe, quos conſtat eſſe intolerabiles. In eius Strofrichti locum aliud ſufficiāt in quod ſoli cooptentur homines experientes; eique conſeſſui locum ſtatuant eum, in quem ipſi quoque Heluetij conuenire poſſint. Qui item eis ſecuritatem præſtet, qui iniquis ante hunc diem iudiciis oppreſſi dicantur;

& vbi cuique allatas contra ſe accuſationes repellere liceat. Præſtent ergo vt iis, qui has propter cauſas patria, & penatibus extorres ſunt, fide publica veniẽdi huc poteſtas fiat. Quę omnia ſic accipi volunt, vt non idcirco Rhæticam libertatem, quam ſaluam cupiunt, minui poſtulent, ſed vt nequid contra præſcriptum iuris, & antiquæ conſuetudinis admittatur. Hęc tam æqua ſi non impetrauerint, enimuero pagis affatim fore occaſionis circumſpiciendi quibus ea rationibus conſequi poſſint. Se quidem ad ſuos continuò redituros. Me ſummopere rogãt, vt ad hęc impetrãda ſibi adiutor eſſe velim. Illud potiſſimùm, vt liceat epiſcopo legitimis modis tueri cauſam ſuam. Nec enim par eſſe, vt tali viro quiſpiam negotium faceſſat. Id tamen ſi quis tentauerit, intellecturus, inquiunt, eſt, eam rem pagos ægerrimè ferre, non ſolùm catholicos, ſed & proteſtantes. Sperare ſe, me huic tam

iuſto deſiderio cumulatè ſatisfactu-
rum. Benignè, & beneuolè reſpondi;
pollicituſque ſum, quicquid in manu
mea ſit, id me enixè præſtaturum, quò
ad meliorem ſtatum omnia perduci
poſſint. Tūc multa ſuſpicio fuit, iſtos
non ſolùm impulſu Fuentani, ſed eo-
rum primorū, qui eſſent in Heluetia,
quærere nouam occaſionem aduerſus
Rhętos; quos per ſpeciem tuendæ
Rhęticæ libertatis, Heluetici iuris fa-
cere tentarent; & rem tantam ab hac
iudjcij forma inchoarent.

Cæterùm ſumptus ad eum vſque
diem à cohortibus facti, qui in ingen-
tem ſummam excreuiſsēt, eos omnes,
ad quos ea res pertinebat, mirè anxios
habuerunt. De ea re mecum curatè
actum eſt ab iis, quorum maximè eam
pecuniam ſolutam eſſe intererat, qui
fuerunt multi mortales; in his duces
præſidij, qui pro debitoribus ſponſo-
res fuiſſent. His dixi, me ſumma fide,
ac diligentia daturum operám, vt rex,

pro ſua erga Rhęticam gentem beneuolentia, præſtet, ad ſe quantum ſpectat, ne ſua fides communitatibus oneri, aut fraudi ſit. Qua de re cùm intentiùs, ac ſæpius actum eſſet, æquum eam rem tractantibus viſum, vt id vnum æs alienum, quod pro fœderibus reſtituendis contractum eſſet, in tres partes æquales diuideretur, quarum vnam Rhæti, alteras illi, quorum fœdera reſtituta eſſent, ſi omnibus ita videretur, diſſoluerent.

Inter hæc Heluetios parare ſe bello quotidie, conſtanterque nuntiabatur. Quærebant omnes, quæ res eos tam vehementer in gentem Rhæticam animaret. Quid ita Heluetia in vicinos, & fœderatos tantis animis inſurgeret. Prudentiores fatebantur, ſatis eſſe cauſę ex eo, quòd in perſonis legatorum Heluetiorum ius gentium violatum fuiſſet. Non deerant qui alia dicerent; Quòd, ſcilicet, in ruptores fœderum, & patriæ proditores legibus vindica-

tum eſſet; Quò d fœdera eſſent inſtaurata; quod Rhæticæ gẽtis honor, qui prope collapſus erat, abſque vllo ipſorum, aut illorum primorum, quos ipſi fouerent, interuentu, aut opera, nunc quidem reſtitutus eſſet. Nimirum, hinc Rhætos pœnam commeritos.

Strofrichti quoque peruicax audacia pleroſque magnopere conturbauit. Cùm enim veteres iudices ex decreto earum communitatum, quas egregia opera Rhæticæ exiſtimationi conſuluiſſe dixi, ſe eo magiſtratu abdicare iuberentur, vix quiſquam eorùm vt huic decreto obtemperaret, animum induxit. Nondum auerterant eam prædam, cui inhiabant. Nondum ex bonis damnatorum pecunia in fiſcos redacta. Nihil adhuc erat, quo quiſquam inde vnctior diſcederet. Hinc obſtinatiores facti non dubitarũt, inuitis omnibus, & ſola impudentia freti eum locum tenere, ac decreto communitatum improbiſſimè obniti.

Cæterùm non ſolùm in Heluetia miles aduerſus Rhætos ſcribi cœptus, ſed ſeorſim à cæteris quinque pagi, quibus nomen eſt paruis, quorum opera Fuentanus ex ſua libidine vti dicebatur, in Italicis præfecturis delectum habebant. Et hi quidem palàm Mezauco infeſti erant; cuius incolæ qua ratione ſe, & ſua tuerentur, ſeriò cogitarunt. Iſti quoque quinque pagi in quodam conuentu, qui apud Geriſouiam habitus, articulos conſcripſerunt eo ſenſu, & iis verbis contextos, quibus fidem faciunt, Apud ſe Rhętos eſſe eo loco, quo ſunt apud victorem victi. Hi articuli, vt credibile eſt, potiùs ea mente ſcripti fuerunt, vt Rhætis eſſent contumelioſi, quàm vt iis locum eſſe poſſe quiſquam ſanæ mentis homo crederet. Vt vt eſt, eos infra ponere viſum, cuiuſmodi tunc in Rhętiam allati venerunt in manus meas.

Sequentes articuli à pagis catholicis tunc proferentur quando cum Rhętis inſtituta tractatio fuerit.

I EPiſcopus & Epiſcopatus, quantum ibi hominum eſt, tum quicquid cenſetur eſſe in cenſu epiſcopatus, ea omnia ſint perpetuùm protecta & tuta; tum ab omni ſumptu, vi, & iniuſtitia prorſus immunia.

II Catholicis Rhætis auxilium prę ſto ſit, ne eis vlla vis fiat in iis, quæ ad religionem pertinent. Nullus ei edicto locus ſit, quo cautum eſt, ne Curiæ quiſquam rei ſacræ cauſa adeat epiſcopatum. Quin detur opera, vt quacunque extenduntur fines terræ Rhæticæ, cui ſacro quiſque volet, ei interſit. Denique ei, quam vocant libertatem conſcientiæ, locus vbique ſit. Edicta item, & mandata aduerſus religionem catholicam antehac edita reſcindantur. Nec vllum eius generis in

poſterum

poſterum fiat. His de rebus cum Rhætis catholicis conſilium habeatur; potiſſimùm quo pacto hæc ad effectum perduci poſſint.

III Eæ leges aboleantur, quæ vetant vllum in Valtellina Eccleſiaſtici ordinis hominem exſtare, qui è Rhætia non ſit oriundus. Item illa, quæ teneram ætatem ita educari, & inſtitui vetat, vt ſacris initiari, & ad ordines eccleſiaſticos promoueri poſſit. Id quoque curetur, ne ibi proteſtantes vllum literarium ludum exerceant.

IIII Literę, quas vocant trium ſigillorum, & aliæ vetuſtæ Rhætorum conſuetudines propemodum prolapſæ reſtituãtur. His ſi quid addi neceſſe fuerit, addatur. Id potiſſimùm, ne ad vllum Reipub. negotium à ſingulis communitatibus plus vno nuntio mittatur. Qua ratione tot corruptelæ, quibus & ipſi probi deprauantur, vitari queant.

V Videndum quibus rationibus ea regio, cui nomen octo iuriſdictiones, ad

ſui principis obſequium, ac proinde ad religionem catholicam reuocari poſſit.

VI Graui pœna multentur concionatores proteſtantes, quos vocant Eccleſiaſtas, ſi vllis ciuilibus negotiis intereſſe audeant.

VII Quiſquis dona ad corruptelam acceperit, in hunc capitali ſupplicio animaduertatur.

VIII Quam primùm aliud tribunal, aliiq́ue iudices eligantur, non ſuſpecti, quò ius dici legitimè poſſit. In autores eius tyrannidis, quę nunc Rhętos conterit, exempla edantur. Qui rerum capitalium rei tenentur, in hos omne omnium impenſarum onus incumbat.

IX Ne Rhætis liceat vllum poſthac fœdus facere, niſi Heluetiis conſciis, & illud adprobantibus.

X Ne dehinc Rhęti habeant vllum legatum apud ipſos commorãtem; cùm ab his tumultus excitari dicantur.

XI Ratio exquiratur, qua fœdus Ve-

netum rumpi queat. Tum qua ratione effici poſſit, vt Rhætia cum Gallia, & Mediolano conueniat, vſque eò vt vtrique ſatisfiat.

Quibus ſimultatibus, & inimicitiis XII
quædam Rhęticę familiæ exerceri ſolent, extinguantur. Fiat edictum, quo vniuerſi moneantur, vt ipſi inter ſe, & cum multitudine concorditer agitent.

Cùm apud Rhætos omnia tranquil- XIII
lata fuerint, tunc tradant Heluetiis oppidulum, cui nomen Maianfeldum, ſiue Campus Maiæ, & Malanſium pagum. Hæc ab his per aliquot annos habeantur, quò pacta, & promiſſa conſtantiùs ſeruari, & reuerentiùs haberi poſſint.

Poſtremò cum domo Auſtriaca, & XIIII
cum Mediolano tractatio inſtituatur, quæ eò ſpectet, vt vterque noſtræ gentis curam ſuſcipiat. Copiæ militares pagorum catholicorum aperta camporum obtineant; nec inde priùs ab-

ſcedant, quàm ſe proteſtantes ad ſua receperint. Hæc illi.

Per idem tempus Maximilianus Archidux cunctos, qui arma per ætatem ferre poſſent, in vniuerſo Tyrolenſi comitatu armari iuſſit. Fuentani quoque militares copiæ propiùs Valtellinam acceſſerunt. Neque quiſquam ampliùs dubitabat, quin eò bellum illaturus eſſet, quod denique Venetiis patraturus eſſet.

Cùm ergo præſidium in Valtellina continuari tunc maximè opus eſſet, quartus ſtipendij menſis regis benignitate ſuperioribus acceſſit.

Iiſdem diebus iuſſu regis cum Nuntio pōtificis, qui in aula degit de reb⁹ Rhęticis in hanc ſentētiam actum eſt, Velle regem, pontificem non neſcire, ſe, vtcunque caſura res ſit, adfuturum Rhætis, ſi eos Fuentanus aggreſſus fuerit. Id ipſum Hiſpaniæ regi nuntiatum fuit, ne vltra ibi Fuentano laxiores fræni dentur.

Tunc vniuerſæ Rhæticæ gentis concilium, quod quotannis ſemel cogitur, cui nomen Ponſdago, Tauoſij habitum. Eò cùm rogatus veniſſem, petitum à me eſt, vt, quas penſiones vocãt, (ſunt annua regis erga multos priuatos beneficia) exin in commune, hoc eſt, communitatibus dentur. Antea communitates, vti dictum eſt, edixerant, Ne quis in poſterum eas penſiones caperet, indicta ei, qui ſecus faceret, pœna capitis, amiſſione bonorum, perpetuæ infamiæ nota. Excita ad tam noua petẽda plebs ab Hiſpanicis haud magna mole fuerat. Certè qui hoc vellent, ea fuit multitudo egena, liuida, turbarum, & ſeditionis cupiens. Capitibus tam vilibus quòd vix vllæ penſiones dantur, eas à nemine capi æquum cenſent. At Hiſpani, qui huius poſtulati vltimi autores eſſent, id ſumma ope curabant, vt, Gallicis beneficiis ſubmotis, ſenſim, & ſubdolè in eorum locum Hiſpanicę ampullę ſubſti-

tuerentur. Reſpondi, me de ea re ſcripturum regi. Eâdem eos qui prudentiores haberentur ſummonui fruſtra eſſe eos, qui ſpeciem regiæ benignitatis mutatum iri ſperent. Quid? Num rex, quæ nunc eſt ſua munificencia, hanc patiatur fieri debitum? Scilicet hoc eſſet, ſi ea pecunia in commune diſtribueretur. Siquidem imperita multitudo regiis donis indit nomen mercedis, & quidem debitę, nec intermorituræ.

Tunc intelligi cœpit, quàm inſigni beneficio eæ cõmunitates quæ è Strofrichto malos iudices ſubmouendos ſuſceperant, ſibi vniuerſam Rempub. deuincire potuerint, ſi, omni illa colluuie egeſta, bonos & iuſtos in improborum locum ſubſtituiſſent. Sed, re inchoata, non peracta, in eo tribunali remanſerunt non iudices, ſed maiorem partem feri prædones, quos domeſtica egeſtas, & proxima pecuniæ ſpes & cupido vltionis ad omnem immanita-

tem exſtimulabat. Iſti ergo omnibus modis tentarunt exequi ſententias eas, quibus magna vis ſectionum, quas ipſi conuertiſſent in fiſcum, continebatur; ne omnibus pariter hic bolus è faucibus eriperetur. Curienſes quoque creditores impenſas in cauponis diuerſoriis factas flagitabant. Sed gumeri illi Strofrichti ſatellites vbiq; repererunt, qui iſtis exequutionibus acerrimè reſiſterent. Et verò ſingulæ communitates debitores aduerſus feſtinatas horum exactiones protegendos ſuſceperant. Dicebatur, nullas ampliùs eſſe partes Strofrichti; cuius iudicia ſint caſſa. Pars iudicum, vbi hæc viderunt, huic tanto conſenſui ceſſit; & ſponte eiurauit, ac domum quiſque regreſſus eſt. Altera pars Curię remanſit vnà cum iis qui à nonnullis communitatibus domus Dei, tertiique fœderis nuperrimè in Strofrichtum adlecti eſſent. At Griſæi fœderis communitates conſenſu omnes iudices mutari voluerunt, prorſus

ad eum modum, quem Heluetij cenſuiſſent. Ex omnibus iudicibus veteres ij qui Curiæ remanſerant, habiti ſunt homines ære diruti, & in omnem auiditatem proni, quibus tota in rapinis, & in iniuſtitia ſpes eſſet; denique Hiſpanica mancipia. Nouatum ergo tunc quidem Strofrichtum dicebatur, ſed meliori mutatum nemo ſenſit. In eo, ſcilicet, hominum improborum tantum remanſerat, vt rectis collegarum iudiciis illa lues intercedere potuerit. Sanè cùm iſti nulla publica vi ampliùs cohiberentur, viris probis, & modeſtis, ipſique adeò Reipub. illudere non dubitarunt, Sic viuitur vbi nemo ſupra cæterorum æqualitatem ſic eminet, vt valido aliquo, & ſummo imperio malas ſeditioſorum libidines coërcere, & cunctos in officio continere poſſit. Enimuero illa æqualitate nihil eſſe inæqualius, atrocia experimenta quæ illic vſque recurrunt, quotidie docent. Hæc fuit iis Rhætis, qui in Hel-

uetiam conceſſerant, recens occaſio geminandi ſuos queſtus apud obuium quemque. Vulgabant, quanta eſſet illorum iudicum atrocitas, & ſuperbia, qui nulla publica autoritae adduci potuiſſent, vt eiurarent, & melioribus cederent. Atque adeò quæ Strofrichti culpa, & improbitas eſſet, hanc iniuriosè vniuerſæ genti aſſignabant. Addebant, ſe eſſe communitatibus inuiſos, propemodum vt diſcipulis magiſter paulò ſeuerior eſſe conſueuit. Idcirco inde ſe nihil æqui ſperare, ſed omnia immania & ſæua.

Certè qui primò nihil aliud, niſi diluèndorum criminum facultatem poſtulaſſent, tunc, vt cœpi dicere, apud quoſdam Heluetiorum primores tantùm potuerunt, vt illos iſti omni ope protegendos ſuſciperent, &quamlibet reis peterent obliuionem anteactorũ, hoc eſt, impunitatem eorum omnium quæ deliquiſſent. Verùm cùm id communitatibus nunquam perſuaderi po-

tuiſſet in eo conſtanter perſeueratum eſt, iuri vt eſſet locus. Mirum tunc accidit, iſtos in Heluetia tantum tumultum mouere potuiſſe, cùm eorum nulli, ſi Epiſcopum excipias, nihil adeſſet, quod cuipiam ſubdere ſpiritus poſſet; non genus, non auitæ opes, non vllus perpetuus magiſtratus, aut aliqua autoritas & potentia perennis, non vlla merita. Quibus denique ſi breuem, & incertum, ac ſæpius infauſtum & emendicatum alicuius paganę multitudinis fauorem dempſeris, non alio loco ſunt, quàm de grege vnus. Niſi ſi quis dicat, his in Heluetia fauiſſe illos, qui ſimilium delictorum ſibi cõſcij eſſent. Nam ſimiles eædem ſpes, iidemque metus facillimè conciliant. Cæterũ Helueticis decretis exequendis duæ legiones properanter ſcriptę ſunt, vnà à pagis catholicis, altera à proteſtantibus. Vtramque Heluetij vſque ad Rhætiæ conlimitia promouere de-

creuerant, eaſque ibi ſubſiſtere iuſſuri erant, donec per vtriuſque gentis internuntios aliquid inter vtramq; gentem tranſactum eſſet. Id quod eò pertinebat, vt, ſi Rhæti decretis Heluetiorum non obtemperarent, ſi illos primores non reſtituerent, ſi patriæ turbatoribus ſua delicta impunè eſſe nollent, ſi non rerum gubernacula iiſdem redderent, ſi non, Strofrichto abrogato, aliud, alieno arbitratu in eius locum ſubſtituerent, in quo non ſolùm Rhætis, ſed Heluetiis ſedendi ius eſſet, ſi non, inquam, has conditiones ſubirent, Rhæti Heluetiis vt eſſent loco hoſtium. Porrò quoties illi primores apud Heluetios mala patriæ ſuæ loquebantur, vera memorabant, ſed mala mente, & animo malo. Ipſis quoque Heluetiis, etſi eadem omnes decreuerant, longè diſpar animus fuit. Nonnullos vicinæ, & fœderatę gentis cura ſtimulabat.

Alij Hiſpano operam dabant. Et

ſuam mobilitatem ab aliena firmitate veluti digito demonſtrari, id verò ſibi, vt probrum, obiici, ægerrimè ferebant. Quod vt obliterari poſſet, id, ſcilicet, agebant, vt Rhætos eôdem inducerent, eoſque potentiſſimo vicino verſandos traderent. Nec aliud illi articuli loquuntur, quos proximè memoraui. Nullus iſtorum concoquere poterat id quod in Rhætia apud quãplurimos fixum eſſet, Eos, qui in liberam Rempub. Hiſpanicam autoritatem inducunt, eſſe hoſtes patriæ, & in eos, vt in atrociſſimi criminis reos ſeueriſſimè vindicandum.

Non de nihilo creditum eſt, hanc omnem tragœdiam eò pertinuiſſe, vt Rhaticę Reipub. forma prorſus mutaretur; & pro populari ſtatu Rhætia iugum paucorum acciperet, quorum primi futuri eſſent illi primores, quos metus pœnæ compulerat in Heluetiam. Prudentiores adnotabant, id exempli in ipſa Heluetia iamdiu ob-

tinuiſſe, & ibi rerum ſi non arbitrium, at tractationem à multitudine ſenſim tranſlatam fuiſſe ad paucos. Exin exteris Helueticæ libertatis, & integritatis inſidiatoribus aditus ad tales fuiſſe promptos, & faciles. Ergo quę olim fides, & conſtantia in ea gente ita muniret, vt eſſent impenetrabilia, hodie aurum tranſmarinũ perrupiſſe. Quam exiſtimationem, quæ hodie inualuit, nec refellere, nec confirmare in animo eſt. Tantùm liberis populis autor ſum, vt fructum libertatis non conſtituant in libidine, & intemperantia, ac ne in vlla quidem opulentia, ſed in ea Reip. adminiſtratione, quæ fidem faciat prudentiæ paucorum, & concordiæ potentięque vniuerſorum. Ibi vnuſquiſque cura & prouidentia regem agat; & animi moderatione ſemper ſit vnus è multis.

Tunc quidem in Heluetia & vis aperta parabatur, atque eâdem ſolennis quædam legatio in Rhętiam deſtina-

batur, quæ futura eſſet Ragazzij ad diem viceſimum primum Octobris. Verùm vt à multitudine intemperanter libera vix quicquam tempori, & obedienter fit, Communitates ſuos nuntios Curiam tardiùs miſerũt, quàm vt Heluetiorum literæ legi poſſent, quibus eam legationem ibi ad eam diem adfore nuntiabatur. Idcirco ipſi quoque Heluetici legati dare ſe in viã neglexerunt. Diceres, vtrinque in curia, & mutuo contemptu certatum. Paulò poſt, cùm nuntij communitatum Curiam ad idipſum conueniſſent, & id quoque ſerum eſſet, quod vnum ſibi reſtare videbatur, literas dederunt ad Heluetios in hanc ſententiam, Si huc velint legationem mittere, amicè eam, & beneuolè exceptum iri. Eâdem pagis, ob ſuſceptos pro Rhętica Repub. labores gratiæ ſuperioribus ſimiles actę. Et hac quidem gratiarum actione omnis hęc de Rhęticis rebus tractatio quodammodo terminari vi-

ſa. Sequuta ſolùm Tigurini ſenatus legatio eſt, quam ab eo tunc impetraſſent illi Rhætici primores, qui reditum in patriam hac ratione moliebantur. His datum, vt ea legatio Ilantium proficiſceretur, vbi, ſcilicet, Strofrichtum conſederat.

Ipſi Heluetij tunc primùm exiſtimarunt, in vado rem Rhæticam eſſe; nec eam ſuæ opis ampliùs indigere. Quippe omnes Rhæti, ne illis quidem primoribus exceptis, vltro ſunt conſentire viſi in iuriſdictionem eius Strofrichti, quod falſò reformatum diceretur.

Tunc quidem intellectum eſt, non ſuopte ingenio Heluetios paulò ante tot minas intonuiſſe, ſed illis primoribus inſtigantibus. Hi quoque vt ſibi nonnihil ſpei alludere cœpit, ad mitiora flecti Strofrichtum poſſe, remiſſiùs omnia apud Heluetios contenderunt. Ipſi Heluetij in alieno negotio languidiores redditi præter illas minaces literas nihil tentarunt, extra delectum

duarum legionum, quæ domi remanſerunt. Huc denique tantum irarum recidit, vt quò acriùs exarſiſſent, hoc euidentiùs elanguerent.

Spes ergo nec tenuis, nec inanis fuit, multitudinis ira deflagrante, omnem illam Strofrichti ſæuitiam terminatum iri argento aliquo multatitio. Quę plaga non infligitur corpori, ſed rei. Eoque tolerabilior futura erat, quòd hoc pacto præteriti grauiorum pœnarum metus leuari, ac redimi poterant. Id quod ab iis, quos iudiciorum metus & expectatio perterrefecerat, ne ſperatum quidem fuerat. Ergo primores illi, fide publica ad hoc impetrata, vt ſe ſinguli coram Strofrichto ſiſterent, impunè in patriam remearunt. Sed horum duo genera fuere, Vnum eorum, qui Reipub. malè geſtæ, & repetundarum arceſſerentur. Alterum eorum, qui aliorum criminum rei eſſent, vt pote ſubiectorum, dum magiſtratum gererent, expilatorum, &

aliorum

aliorum ſanè grauiorum malefactorum. Verùm ſtratis multitudinis odiis, omnia vbique miteſcebant. Plerique, poſito metu, ad ingenium redierunt.

Talia vt plurimùm ſunt cœpta populorum , principiò acria , poſt languentia, poſtremò inania. Quid multa ? illam rigidam & diſtrictam ſeueritatem excepit inexpectata quædam impunitas, aut certè ea coërcitio, quæ eſt impunitati proxima. Cur dehoneſtamento ex aliqua parte velando repertum, & vulgatum , talium criminum probationes fore difficiles, ac diuturnas. Ergò iudicia ſequuta ſunt ea, quorum exitus fuit animaduerſio pecuniaria ; ac ne ea quidem prout delicta fuiſſent , ſed prout quiſque multitudini magis minuſue inuiſus eſſet. Qui flagitioſiores haberentur, his ſuper multas adſcriptæ ſunt infamiæ notæ, hæc in primis , Ne quam in poſterum Reipub. partem attingerent. Sed hoc fruſtra. Nec enim ibi , rebus quietis,

quiſquam rei iudicatæ exactor eſt. Nec tamen defuerunt communitates, quæ his iudiciis non puniri crimina, ſed foueri dicerent. Et verò tanta indignitate compulſæ inibi fuerunt, vt ad arma diſcurrerent, & infenſis animis rectà pergerent ad Strofrichtum, eique extrema minitarentur, ſi non ibi ſanctiùs & ſeueriùs ius diceretur. Poſtremò hæ quoque ab iis, quæ mitiora cenſerent, mitigatæ cùm eſſent, nõ vltra in quemquam quæſitum, aut animaduerſum. Per id tempus ignis violentia Selinum extremum inferioris Engadinæ pagum, antequam reſtingui poſſet, conſumpſit. Ad primam huius cladis auditionem omnes Engadinenſes exciti metuerunt ne aliqua vicinorum Tyrolenſium fraude illud incendium excitatum eſſet. Derepente itum ad arma, & concurſus armatorum ad illa confinia factus, relictis domi fœminis & pueris. Sed comperto, fortuitum incendiũ fuiſſe, omnes ad ſua redierũt.

Cæterùm etſi hi tumultus quodammodo conticuerant, non tamen publica res vllo adhuc ſtabili loco erat. Vt eius, qui recens è morbo conualuit, valetudo nutat, & membra vacillant, ita poſt tantos motus omnia ibi adhuc nebuloſiora aſpiciebantur. Vt ex alto ad littus eiecti, quò ſe quiſque ſub tectum receptaret, circumſpiciebant. Nemo adhuc quid ſperare auderet, aut quid deſperaret, eloqui poterat. Tali rerum ſtatu omnes meliora cupere. Nemo quo autore, & vnde ea aduentura eſſent, eloqui poſſe. Quem Rhæti vt grauem, moleſtumque vicinũ formidauerãt, hic ſi non apertus hoſtis, at infenſus remanebat. Et quàm exacerbatus eſſet, ex eo intelligebatur, quod nuperrimè, ne qui commeatus ex agro Mediolanenſi in Rhætiam portarentur, edixerat. Quo animo alij proximiores fœderati in Rhætos eſſent, qui eorum conſilia non admiſiſſent, nemo liquidò ſcire poterat. At iis, qui fuiſſent

in ſuis fœderibus inſignitè læſi, ac deſpecti, nondum ſatisfactum erat. Ergo, quia regi in tam variis animorum motibus cum ea gente incertiſſimum fœdus eſſe videretur, nobis quid inde ſperandum, aut expectandum eſſet, explorare ſtatui. Ne, dum Gallico fœderi improbis artibus hinc ab inuiſoribus noſtris, hinc ab inſanientibus illuditur, nos talia patientiùs, quàm par eſt, tolerando eamdem inſaniam inſanire videremur, nec furori remedium, ſed alimentum prębere mus.

Cùm huic meo conſilio rex annuiſſet, rem aggreſſus ſum. Quod antea factum eſſe, nunquam fando auditum, ſingulas communitates conueni, donec omnes obiſſem. Ad eum pagum rectà pergebam, in quo conuentus communitatis haberi ſolent. Præmittebam qui nuntiaret miniſtrali (is eſt ſingularum communitatum magiſter, ſiue magiſtratus) me eò venire, vt in populi conuentu ea exprome-

rem, quę ab rege haberem in mandatis. Petere me vt quamprimùm, quod commodo magiſtratus, & multitudinis fieri poſſit, ad concionem vti populus vocetur. Cùm multitudo ad diem dictam de more conueniſſet, ac ſe, ita vt ibi ſit, in orbem diſpoſuiſſet, ibi vnà cum magiſtratu ſedēs apud circumſtantes eam orationem habebam, quam res moneret. Nam ſi ea communitas in iis eſſet, quæ aduerſus Gallicum fœdus non ſtetiſſent, eius fide, & conſtantia collaudata, ſeriò vt quà cœperat, pergeret, hortabar. Si communitas fluxa fide fuiſſet, ſi vna illarum eſſet, quæ nec fas, nec fœdus reſpexiſſent, ibi verò fraudes, quibus circumducta eſſet, ſingillatim enumerabam. Cùm impoſtores aſſererent, ſcripto fœdere nullam regi tranſitus copiam fieri, nedum amicis eius, nec eo fœdere Franciæ Delfinum comprehenſum eſſe, dixi, eos omnes, qui hæc ſpargerent, in manifeſto mendacio

deprehendi. Simul cum dicto exemplum authenticum tabularum fœderis regio interpreti, qui mihi ſtaret ad latus, aut ſcribæ communitatis in manum tradebam, qui illud vniuerſis audientibus recitabat. Cùm ad clauſulas tranſitus, ac Delfini ventum eſſet, ibi cunctos vt ſingula verba aduerterent, & expenderent, idemtidem monebam. Tunc omnis ſcrupulus vniuerſis vſque eò eximebatur, vt multorum fremitus procul exaudiretur, querentium & indignantium quòd ſic ſibi data verba eſſent. Hæ erant conſenſu clamantium voces, ô improbos, qui nobis iſta perperam narrarunt! ô nos nimiùm credulos, qui iſtis aures tam pronas præbuerimus! Peracta recitatione, ea, quæ in rem viderentur, addebam; id potiſſimùm, ne quam impudentibus ſycophantis in poſterum fidem adhiberent. Si quid dubij in cõmunitate fortè oriretur iis de rebus, quæ ipſis, & nobis communes ſunt,

de eo ne quemlibet blateronem; ſed me conſulerent, & ad me mitterent. Quippe qui ſuper ea re id tantùm reſponſurus ſum, quod ita eſſe certiſſimis argumentis compertum habere poſſint. Ac ne quid tale vlli communitati oneri ſit, ſpopondi me ſuppeditaturũ ſumptus iis, qui de ea re ad me mitterentur. Poſtremò vniuerſos vehementer hortabar, vt in poſterum, ſicuti viros bonos, & fortes decet, in promiſſorũ conſtantia fideliter permanerent. His omnis multitudo non ſolùm aſſentiebatur, ſed in aliquot cõmunitatibus ſumma alacritate acclamatum, me præſente, fuit, Viuat rex, Viuat Gallia. His peractis, à magiſtratu petebam, vt codicillos, quibus tota res contineretur, conſignatos, & authenticos mihi traderet, quos regi mitterem. Id ipſum circumfuſa multitudo diſertim, ſummoque ſtudio iubebat. Tunc verò quod paulò ante in conuentu Ilantij habito propalam

dixeram, Velle regem eorum ſumptuum tertiam partem diſſoluere, quos eæ communitates Curiæ feciſſent, quarum opera fœdera reſtituta eſſent, Hem, inquibam, fidem regis libero. Illico ea pecunia à quæſtore in conſpectu cunctorum numerabatur. Eâdem ab vniuerſa multitudine omnia lætitiæ ſigna, dextris, vt genti mos eſt, elatis iterabantur. Vndique geminabantur voces, quibus teſtatum fieret, ipſos regiorum beneficiorum gratos acceptores eſſe. Simili ratione omnes Rhæticas communitates intra ſex menſes adij, ſæpius aſperrimo hyemis, & ipſa hyeme eo anno valde ſæua. Ab ſingulis codicillos conſignatos, quales dixi, abſtuli. Declarationes vocarunt. Cuius negotii ea celebritas fuit, vt ſolennis nouatio fœderis dici potuerit, qua nihil per eos dies nec in Rhætia, nec per finitimas gentes illuſtrius innotuit. Nihil ibi mendaciis, & verſuutiloquis fœderũ interpretationi-

bus loci relictū. Luci, & veritati omnis caligo ceſſit. Hic fuit exitus meæ ad omnes Rhæticas communitates profectionis. Exin cuncta Rhætia de Gallico fœdere vnum ſenſit. Iiſdem fere diebus à Strofrichto, nam ea tunc publica autoritas ſola in Rhętia eminebat, & à compluribus bonis viris per literas rogatus fui, vt vnà cum ipſis publicæ rectionis reformandæ curam ſuſciperem, quæ diutiùs, & grauiùs quàm Reipub. expedit, laborat ex iis morbis, quibus ſi non quamprimùm obuiam itur, verendum eſt, ne denique fiant inſanabiles. Hunc addunt fore cumulum meorum in Rhæticam gentem officiorum. Reſpondi, Nihil me regi gratius facere poſſe, quàm ſi in ea totus incumbam, quibus hoc tempore ſubleuari Rhętica gens poteſt. Videant modò ipſi ne rem negligant. A me nihil eorum deſideratum iri, quæ ſunt in manu mea. Eius rei poſthæc

nonnullos idemtidem admonui. Sed nequicquam. Nam corrigi mala inſtituta, & melioribus mutari ij nolunt, quibus ſua malitia quæſtui eſt. Ergo id conſilium eorum incuria deſtitutum manſit, quorum intereſſet in ea gente turbas foueri.

Inter quæ, quòd iudices Strofrichti negarant, ſe cauſam epiſcopi cognituros, res ad diſquiſitionem communitatum miſſa.

Per eoſdem dies acceptę ſunt à Fuentano literæ, quibus facta fides eſt, quãtum eius dolori indignationis acceſſiſſet ex eo, quod capitali animaduerſione puniti eſſent illi, qui ſuæ factionis in Rhætia duces eſſent. Extremæ eæ literæ erant minaces. Qui eſt potẽtium mos, quoties impotentiùs iraſcuntur.

Tunc quoque nomine Veneti ſenatus regi cõfirmatum eſt, omnes Italici belli metus euanuiſſe, certè nullos ampliùs militum delectus ibi haberi.

Digitized by Google

Quinetiam quidquid vſpiam copiarum contractum fuiſſet, iis omnibus nunc miſſionem dari, in his à Fuentano. Ea re ſenatum Venetum cenſere, vt extra periculum Rhæti cùm ſint, è Valtellina maxima pars præſidij deducatur, eaque ſe fœderati exonerent. Ibi vna tantùm cohors relinquatur. Hac re è Veneto legato cognita, cenſuit rex; non ſolùm minui præſidium oportere; ſed omnino dimitti. Nam cui rei vna cohors in Valtellina, nec ad laceſſendum, nec ac propugnandum valida, certè toti prouinciȩ leue præſidium? Annon ea potiùs vicinum irritari, cui tantula manus futura deridiculo ſit? Ergo regiis literis paulò poſt ad me datis, iuſſus ſum eius præſidij præfecto quid regi placeret, ſignificare. Protinus literis meis acceptis vnà cum aliis præfectis prȩſidio decedit, & intra quatriduum cum copiis præſidiariis cis Alpes conſpicitur, relictis tantùm tutandæ foſſæ militibus ad quin-

quaginta. Repentinus hic præſidij in Rhętiam reditus vniuerſos perculit. Quippe iam fama à Veneto ſecretario diſperſa fuerat, non toti præſidio, ſed eius parti miſſionem datum iri. Hinc & Venetus, & capitanei præſidiarij non dubitarunt vulgare, me eius miſſionis autorem eſſe, qui ab rege ſtipendium præſidio vlteriùs proceſſurum negem. Cùm tamen eâdem Veneti ſenatus benignitas immenſùm attolleretur, qui ſe vni cohorti, quæ ibi præſidio relinquēda eſſet, daturum mediam ſtipendij partem polliceretur. Repente pittagum Curiam vocatur, quò vt me conferrem, vniuerſorum verbis rogatus ſum. Vt ibi fui, quidam eius conſeſſus nomine exorſus eſt longam orationem, quæ eò pertinebat vt intelligerem, quantum diſcriminis Valtellina eſſet aditura, ſi inde omne præſidium educeretur. Idcirco, inquit ille, pittagum decreuit eò mittere milites ad centum & quinquaginta, qui vnà

cum illis, qui ibi relicti ſunt, nuſquam abſcedant, ſed foſſæ prçſidio eſſe pergant, donec toto præſidio quid fieri oporteat, conſtitutum ſit. Interea ingenti vniuerſorum conſenſu peti à me eam pecuniam, quæ mediam eius ſtipendij partem conficiat. Is eam rem ita exaggerauit, propemodum vt ſi vnius cohortis præſidio Valtellinam defendi poſſe, in confeſſo eſſet. Addidit, eam impenſam non fore diuturnam. Atque adeò & ad regem, & ad ſenatum Venetum deſtinatam eſſe legationem, quæ ad vtrumque has ipſas preces deferat. Id quoque à me maiorem in modum peti dixit, vt cui ad regem hæc legatio data fuerit, huic accurata commendatione adeſſe velim. Et periculum quidem dixit inſtare ab Archiduce Maximiliano, qui id agat, vt quicquid iuris principes Auſtriaci in Partenſi regione habent, ſupra fas, & æquum intendatur. Ab eodem Archiduce epiſcopum Cu-

rienſem in clientelam acceptum protegi. Cuius rei initium, ac documentum ſit caſtrum Furſtēburgum ab ipſo occupatum. Cuius vt vtile dominium ſit in cenſu epiſcopatus, certè directum eſſe penes Domum Dei. Ergo non tantùm ipſum hoſtilia meditari, ſed feciſſe. Pleraque adiiciunt his ſimilia, quibus fidem faciant ſuos metus non eſſe vanos. Id quod ſi eſt, ſaltem vnius cohortis pręſidio firmari Valtellinam oportere. Reſpondi ad hunc modum, vt quicquam de pręſidio ſtatuam, præter id, quod habeo in mandatis, non eſt in manu mea. Nec enim neſcitis, vobis à rege in tres mēſes promiſſum fuiſſe ſtipendium. Tribus menſibus, rogatu veſtro, à rege impetraui vt adderetur quartus; poſtremò etiam quintus. Nec interea vlla vnquam à rege amputandi præſidij facta mentio, donec Veneta Reſpublica monuit regem, nihil ampliùs eo præſidio opus eſſe; cùm in Italia, omnia

quæ metum facerent, aſpiciantur eſſe tranquillata. Ergo rex huius miſſionis nec autor, nec repertor eſt, niſi poſt Venetos, quorum fidem ſequutus huic præſidio finem ſtatuit. Quod ſi cuiuſquam intereſt, vnam cohortem Valtellinæ præſidio relinqui, is rei ſibi conducibilis, aut etiam neceſſariæ ſumptus toleret. In eorum partem eos vocare parcat, quorum ſitne ibi præſidium, non ſit, nihil intereſt. Non ergo indiſtincta & promiſcua relinquenda, ſed iuſtis terminis fœderatorum cauſa vobis diuidenda eſt. Valtellinam vobis adimi, & fieri iuris eorum, qui erga Venetos non ſint bene animati, graue Venetę Reipub. negotium eſt. Vnde enim è gentibus tranſalpinis vlla manus ei auxiliatrix appareat, ſi hic ad Venetam ditionem aditus obſeptus fuerit? Grande ergo Venetis momentum Valtellina veſtra eſt, per quam vnam nunc quidem iis aduentare auxilia poſſunt, non cuiuſmodi ex aliquo Illy-

rij angulo, aut à paucis inſulis, aut infrequentibus, & ſcopuloſis littoribus ad ſe accerſere quandoque poſſunt, ſed valida, & numeroſa; earum, videlicet, gentium robora, quæ ab incunabulis bello durantur. Ne multa, pro veſtra prudentia ſatis perſpicitis, non ideo regem Valtellinam defenſam cupere, vt hoc pacto ſua tueatur, ſed, quod hoſce ſumptus libenter tolerat, id ad vnam regij animi magnitudinem referri oportere. Porrò ſi vos, id quod Deus prohibeat, Valtellinam amitteretis, vallis pulcherrimæ & fertiliſſimæ fructus, fateor, amitteretis. Verùm veſtræ vobis ſedes hîc ſaluæ nihilo minus manerent, quas nullus hoſtis, vobis tantùm non perpetuo ſomno grauatis, peruadere poteſt. At quibus è veſtro ſingulari damno vniuerſale periculum creatur, hi illi ſunt, quibus cum vobis nunc rem eſſe intelligitis. Hi vobis ſunt compellandi. Regem, cuius benignitatem numquam in vos

claudi

claudi ſenſiſtis, maioribus, ac diuturnioribus remediis ſeruate. Illa mihi credite, efficaciter petuntur, quæ, re cogente, & pudore non vetante, petuntur. Quò verecundiùs cum tam munifico fœderato agetis, eò beneficentiorem eum experiemini. Ergo id quod æquum eſt, vos quidem feceritis, ſi, vnde vobis alienam opem circumſpectandi orta neceſſitas eſt, inde auxilium petieritis. Nam cur motuum ciuilium impenſam minus prꝫſtet is, qui motibus cauſam dedit, quàm is belli ſumptus toleret, cuius culpa bellum excitatum eſt? His cùm nihil reſponderi poſſet, verbum non addiderunt. Me tantùm die ſequenti, miſſis ad me paucis, vniuerſæ gentis nomine impenſè rogarunt, vt ne, in hoc tanti momenti negotio, ipſis deeſſe vellem. Dixi, me qua fide cum ipſis vſque adhuc egerim, cætera porrò acturum. Videant modò ipſi an ſuæ verecundię eſſe putent, quemquam de ea re ad re-

gem mittere. Hæc quamuis ij qui aderant, vera eſſe faterentur, tamen Veneti fœderis autores, iidemque noſtri oſores id malitioſè egerunt, vt regis creberrima & vberrima dona Venetę huius pollicitationis oppoſitu obſcurarent. Inſiſtunt peruicaciùs publicare, quanta ſit Veneti principis in Rhætos animi propenſio, qui mediæ cohorti, hoc eſt, centum & quinquaginta militibus ſtipendium ſuppeditare ſit paratus, cùm id ſe rex facturum neget. Rei totius inuidia regem grauare pergunt. Neque quiſquam eorum reputauit, odio Veneti fœderis Gallicum à motis communitatibus nuper fuiſſe ruptum. Quot poſtea ſumptus regem feciſſe? Quot ab eius miniſtris labores exantlatos fuiſſe, vt illud vnà cum Veneto reſtitueretur? Nam quod Venetum fœdus à motis communitatibus exturbatum quaſi poſtliminio tunc reuocatum fuit, annon id Veneta Reſpub. regi accepto referre debet? Quis

poſthæc Rhætos otio & quieti reddidit? Quis genti tot miſeriis circumuallatæ manus auxiliares vtiliter porrexit? Ecquis eſt ille alter, cui tantum beneficium debitum ſit, niſi vnus tantus, tamque beneficus fœderatus? Cùm interim Venetæ Reipub. miniſtri manibus compreſſis, harum atrocitatum otioſi ſpectatores eſſent, nec ab eis extra illam ſtipendij pręſidiarij partem, teruncius vnquam in hiſce motibus exprimi potuerit? At nunc in ea re, quæ nihil ad regem, ad Venetos potiſſimùm pertineat, Venetam liberalitatem immenſùm efferri; idque enixè agi, vt rex adigatur ad parendum, ſi diis placet, Veneto decreto. Id quod ſi non fecerit, tunc tantum regem Veneta factio diffamare, & in ſummam apud communes fœderatos inuidiam vocare audeat. Plurium, præter has, hæc quoque vox fuit, in his hominum tertij fœderis, Se nihil à Venetis & offerentibus accipere, nec eis vlla re

obligari velle. Quod enim Reſpub. è tot malis emerſerit, id totum eſſe beneficium vnius regis. Iam enim ſedatioribus animis ante acta reputari, & beneficia regis componi cum iis, quę aliunde accepta eſſent, cœperant.

Tunc Veneta factio tentauit; an paucula pecunia, nimirum ſi ſingulis fœderibus darentur mille coronati, à communitatibus emi poſſent codicilli, ſiue declarationes iis ſimiles, quas ego à ſingulis abſtuliſſem. Sed intellecto, quàm id nequicquam, & ridiculè agitaretur, hanc tam nugatoriam, & abſurdam petitionem premere ſatius duxerunt, quàm turpem eius rei repulſam pati, quę nobis nulla pecunia comparata eſſet, ſed officiorum crebritate, & emerendis beneficiorum magnitudine, & frequentia fœderatorum ſtudiis.

Eodem tempore epiſcopus, qui negaſſet, de ſe, qui ſit princeps imperij, notionem ad tria fœdera pertinere, eo-

rum ſe iudicium ſubiturum profeſſus eſt. Igitur decretum ẽt, vt quæſitores, & cognitores legantur, qui illud iudicium perficiant. Atque vt ſe is legitimè tueri poſſit , ei copia fiat redeundi in patriam fide publica. Sed fœdus domus Dei, quoties de epiſcopo , & epiſcopatu agitur, eam eſſe ſuam ſingularem notionem audacter adſeuerabat. Alia duo fœdera vniuerſæ Reipub. eam eſſe conſtanter affirmabant. Hæc ſententia , non obſtinatiùs pertendente Domo Dei, præualuit. Verùm epiſcopus nulli talium iudicio ſe commiſcere auſus , & paulò poſt aliam viam ingreſſus quinque pagos ſibi aduocauit. Nec verò ſibi ius dici, ſed aliquam de ſe, ſuiſque rebus tractationem inſtitui cupiebat. Et verò inde ad paucos dies in Rhætiam venerunt duo Heluetici legati Vrienſis, & Lucernẽſis, vterque ſummus domi magiſtratus. Hi Alteſtinum ad me diuerterunt ; & quinque pagorum literas, quas vocant

fidei, ſiue credentiæ mihi inſcriptas, & alteras regij legati, eius qui eſſet in Heluetia, mihi reddiderunt. Has vbi legiſſem, dixerunt, pagos commiſereſcere eius calamitatis, quę epiſcopum oppreſſiſſet. Ipſos non neſcientes quantum apud communitates autoritate valeam, petere à me, vt, quantacũque ope poſſem, ei adiutor eſſem. Se de hac eadem re egiſſe cum legato regis, qui agit in Heluetia. Eum ipſis eſſe pollicitum, ſe de eo ſcripturum regi, cuius nunc ſuper hoc negotio mandata expectentur. Id me etiam, atque etiam obſecrant, perficiam vt iudicio ſuperſedeatur, donec regię maieſtatis literæ adſint. Certè nihil ab epiſcopo contra Gallicum fœdus fuiſſe commiſſum. Prorſus indignam rem eſſe, eum, qui ſit ſacris addictus, ea potiſſimùm dignitate hominem, cuiuſquam mortalis, niſi vnius pontificis iudicio obnoxium eſſe. Si ipſis pro illo rogantibus mos geſtus fuerit, ſe verò eius rei

gratia ei plurimum debituros, cuius in hoc & ſtudium, & beneuolentiam perſpexerint. Hac quidem ratione ea mala poſſe euitari, quę conſecutura ſunt exemplum tam peſtilens; ſi eſt vt epiſcopus capitaliter laceſſatur. Reſpondi, vniuerſum nomen Chriſtianum nuper euidentibus argumentis cognitum habuiſſe, quanta cura in id rex incubuerit, vt pax Italiæ inconcuſſa maneat, tum vt Rhætica hæc gens concordię, & quieti reddatur. Omnes regios miniſtros, vbicunque terrarum ſint, eôdem ſpectare, & quantum in vnoquoque eſt, hanc rationem ſequi iuſſos. Huic regio, tamque pio deſiderio, vt, qua re maximè poſſem, obtemperarem, in eo verò me ſemper laboraſſe. Et in Rhętis quidem magnam eſſe factam commutationem rerum; & pro iis ærumnis, quibus hanc gentem antehac depreſſam ipſimet viderint, nunc vbique aſpicere omnia quieta. Ad hanc tranquilli-

litatem vt perueniri poſſet, me, iuſſu regis, neque curæ, neque labori parſiſſe. Siquid huius generis peragendum reſtet, ne dubitari quidem poſſe, quin mens regi eadem ſit. Expectandum, inquam, ab regia bonitate eſt, vt eius incendij ſcintillas, ſi quæ adhuc ſunt, conſopiat, & proterat. Verùm cùm nunc quidem magna res, & ſingularis agatur, quæ eſt reductio epiſcopi, nihil à me ſine ſingulari mandato ſuſcipi poſſe. Ipſos ſibi, pro ſua prudentia, ſubiicere poſſe, quot, quantæque difficultates hoc negotium circumſiſtant. Rem enim eſſe cum ea gente, quæ nuper è magnis fluctibus enatarit; cuius voluntates nondum coaleſcant, vniuerſi potiùs ſcindantur in multa, eaque diuerſiſſima ſtudia. Idcirco manifeſtum eſſe, in tali negotio cum ope, & autoritate rationis aduocandum, & expectandum eſſe auxilium temporis. Rem quidem animoſè ſuſcipi poſſe. Sed tutius

videri, nihil ſibi in tanta animorum diuerſitate ſpondere. Equidem, inquam, vbi accepero iuſſa regis, nulli nec occaſioni, nec vlli earum rerum deero, quas ad meam fidem pertinere arbitrabor. Hoc reſponſo contenti Curiam ire perrexerunt.

Non mihi tantùm, ſed nonnullis aliis bonis, & prudentibus viris tunc quidem id quod dicturus ſum permirum accidit. Cùm ipſe non ſolùm eſſem in Rhætia, verùm Alteſtini habitarem, qui locus non plus horæ itinere Curia diſtat, nunquam tamen ſecretarium Venetum mecum de iis egiſſe, quæ ſi ſtudiis coniunctis acta fuiſſent, rectiùs & feliciùs adminiſtrari poterant. Enimuero regiæ maieſtatis erga Venetam Rempub. animi propenſio, & ſimilis eius ſereniſſimæ Reipub. erga reges Chriſtianiſſimos obſeruantia ab vtroque noſtrûm flagitabat, vt in iis rebus, quæ à Rhæticæ Reipub. fœderatis concorditer agi poſſent, nos

quidem vnanimes verſaremur. Equidem pro mea virili id dederam operam, vt omni, qua poſſem, beneuolentiæ ſignificatione eum ſecretarium ad eamdem animi inductionem inuitarem. Sed me nihil egiſſe, re ſemper intellexi. Vſque eò is videbatur congreſſum, & conſuetudinem meam de induſtria vitare. Ac tunc quidem cùm Venetias reuerſurus eſſet, nec ipſe quàm quantum dixi, longiùs abeſſem, mihi per epiſtolium valedixit. Verùm morbo implicitus Curiæ tunc quidem remanere coactus eſt, vſque dum conualuiſſet.

Tunc verò priuſquàm ſe in viam daret, ad me venit, non quia mutatus, ſed, credo, poſtquam quidpiam de ipſius ratione tam peruerſa à me communibus amicis indicatum inaudiſſet. At ego eam occaſionem nactus, amicè, & mitibus verbis apud hominem de eo queſtus ſum, quod nulla nobis vllius vnquam negotij communio fuiſ-

ſet. Ipſum ſatis ſcire, non per me, quominus aliter fieret, ſtetiſſe, qui ex iis quę ad me è diuerſis locis perferrentur, ea ipſi mittere conſueſſem quæ non neſciri ad Rempub. Venetam magnopere pertineret. Se non eſſe neſcium meipſi aliquando id conſilij dediſſe, quod ego mihi amplectendum putaſſem; cùm, Curia relicta, Tuſium habitatum iui. Tunc enim autor ei fueram, vt ſe ipſe eò pariter conferret, & quidem propter eas cauſas, quæ & graues, & ipſi cognitæ cùm eſſent, ſe id quod amicè ſuaderem, facturum dixerat. Si feciſſet, non ſe iniuriæ opportunum reddidiſſet; non ius gentium in ſua perſona pollui; non ſe indignis modis contra decus, ac dignitatem Reipub. Venetæ haberi vidiſſet. Sed bono conſilio prętulit irritam ſpem conciliandi ſibi & ſuis plebem Curienſem, quam tunc à nobis, vt dixi, improbis quorumdam improborum artibus abalienatam videret. Verùm ſe illa ingenia tunc quidem nondum

pernoſſe, haud multò poſt intellexit. Non reticui de iis rumoribus, qui aduerſus regias rationes à Veneta factione malignè ſpargerentur. Id potiſſimùm ei exprobraui, quod cùm nuperrimè pittagum Curiæ haberetur, ipſemet eum conſeſſum palàm hortatus eſſet, vt legatos ad regem deſtinarent, per quos ab ipſo peterent partem ſtipendij eius cohortis quæ contra ipſius ſententiam in Valtellina præſidium agitatura eſſet. Nec tamen erat neſcius, Venetum legatum, qui in aula regis degit, dixiſſe, conſilium regis de toto præſidio dimittendo, nulla cohorte excepta, Veneto ſenatui magnopere probatum fuiſſe. Cur ergo, inquam, hîc aliud abs te, tuiſque dicitur? An vobis deſunt aliæ occaſiones alliciendi ſtudia communitatum, niſi earum odia in regem concitetis? Annon palàm eſt, id vos agere, vt omnis huius miſſionis inuidia in regem, eiuſque miniſtros incumbat? Hîc victo ſilentio prorupit, dixitque, legatum regis,

qui Venetiis eſt, in collegio dixiſſe, regem pecuniam pro dimidio vnius cohortis ſtipendio eſſe collaturum. Ibi ego, Nunquam fuiſſe factum. Nec eũ regis legatum vllum aliud, quod huc pertinet, ab rege mandatum accepiſſe, quàm illud ipſum quod mihi miſſum fuiſſet. Et hoc verum eſſe, me ſcire è plurimis regis, & eius regij legati literis. Enimuero id quod mihi rex diſertim ſcripſit, per iſtas ambages fœdè circumduci; tum id, quod nunquam fuerit, pertinaciter pro eo, quod ſolidè ſcio, verumque eſt, vulgari, prorſus rem indignam eſſe. Cùm ad hæc obmutuiſſet, mihi valedixit. Morbenium profectus, inde ad pittagum literas dedit hac ſententia, Quod ad prę-ſidium attinet, ſenatum Venetum cenſere, in tali negotio regis præcipuas eſſe partes. Quicquid rex fecerit, idipſum Venetos eſſe facturos. Certè nuſquam ſui diſſimilis illa ipſa, quæ antea dixerat, quaſi apud non intelli-

gentes, iterare non dubitauit, addito primis illis verbis neſcio quo lenocinio, quò regem maiori inuidia oneraret, ſi ſuam pecuniam in aliena negotia profundi non iuberet. Prorſus iſte è ſordibus tenacitatis pulchram benignitatis famam captabat. Et quæſitæ artis eſſe putauit, immerentem poſſe odio onerare, & eâdem alium quempiam pro ſolido beneficio, beneficij ſimulatione demereri. Huc quoque id artificij pertinuit, vt Hiſpano iraſcendi Venetis propter præſidium omnis occaſio adempta eſſet; omnis eius rei ſiue culpa, ſiue inuidia in regem inclinaret, ſi ipſius videlicet, ſumptibus, & autoritate illud præſidium in conlimitio Mediolani poneretur. Ad hæc patranda adhibebantur ex illis primoribus nonnulli, qui nobis tunc quidem eſſent infenſiores, quòd, ipſis inuocatis, & ſine vlla ipſorum opera Gallicum fœdus à communitatibus inſtauratum eſſet. Antea quidem iſti hoc ſibi ſem-

per ſumpſerant, vt ſecum legati regum & principum de publica re,non cum communitatibus agerent. Atque adeò cùm etiam eſſent in Heluetia, hęc palàm loquebantur, Det operam regius legatus vt in priſtinum locum reſtituamur. Nos verò reſtituti fœdus inſtaurabimus. At ipſe qui non neſcirem quid hominis horum quiſque eſſet, nunquam animum inducere potui, eos, qui ſe patriæ reddere non poſſent, inſtaurando fœderi aptos, aut ſatis validos eſſe. Horum quoque technis perfectum eſt, vt noua quædam, & abſurda, ne dicam impudentia poſtulata nomine communitatum ad me perlata fuerint. Quæ res ex eo originem duxit, quòd earum communitatũ cohortibus, quæ fœdera rupiſſent, nemo ſumptus ſuggerebat. Et ideo in magno ęre alieno remanebant. Et verò cùm ipſe communitates adirem, iis vnis regium munus dederam, quæ Gallicum fœdus aduerſus aliarum

impetum conſtanter tutatæ eſſent. Iis, quæ ſeditionem conciuerant, & fluxa fide vſæ, nec bonæ, nec fideles manſerant, ne vniuerſalis lætitiæ, quæ è confirmato fœdere vbique exoriretur, prorſus expertes eſſent, dederam quidem aliquid, ſed quod neutiquam id munus quod aliæ accepiſſent, ęquaret. Iſtę ergo quę viderēt, cum aliis, quàm ſecum benigniùs actum eſſe, ſeq; adeo adhuc obęratiores remanere, propter eos ſumptus, quos Curiæ ſuæ cohortes in diuerſoriis feciſſent, Hiſpanicæ factionis, illorumque primorum impulſu parem à me pecuniæ ſummam ei, quam aliis dediſſem, impetrari poſſe ſperarunt. Id inſuper maleuoli homines vulgo iactabant, iniurium eſſe, ſi hæ communitates regiæ liberalitatis expertes, ac proinde deteriori conditione eſſent, quàm aliæ. Nec enim regi fœdus tantùm eſſe cum illis, quibus id muneris datum, ſed & cum iſtis. Quin etiam res eò proceſſit, vt inturbidæ

bidæ illæ communitates, quæ fœdus ſeruaſſent, his vocibus inductæ exiſtimarint, ad concordiam ſtabiliendam magnopere pertinere, vt iſtis quoque præ manu daretur aliquid, quo accepto, & ſibi, & aliis impensè gratularentur, & quietè agerent. Hæc eſt intemperantia multitudinis, vt beneficiorum dignitate ſe indigni dignis æquari æquum cenſeant. Si diſtinguntur, illorum ſit iniuria, qui locò præmij ſe pœnas commeruiſſe intelligunt.

Denique id reſponſi ad ea dedi, quo audito, eæ communitates quæ regium munus accepiſſent, ſe tanti regis iudicio, & munere ſingulariter honeſtatas fuiſſe magnopere lætarentur. Sanè dignitate muneris omnes ęquari, rem indignam cenſui. Denique perfeci, vt aliæ non liuore, ſed bona æmulatione ſibi cum illis certãdũ intelligerent. Quæ res eius poſtulati autores vſque eò perculit, vt denique ſuæ eos audacię puderet ſimul, & pigeret. Non

potuit illa tanta impudentia validiùs confutari, quàm perficiendo vt eis prauè cœpta ſecus caderent. Non hoc contentus ad omnes communitates literas dedi, quibus breuiter expoſui, quot, qualiaque intra anni ſpatium fuiſſent in gentem Rhæticam magni regis beneficia; non vt hæc commemoratio eſſet exprobratio, ſed vt illorum, quos dixi, nequitiam quæ ſæuiſſimè in nos graſſabatur, in medium protractam, vniuerſis ſpectandam & cognoſcendam præberem.

Nondum regia munera exhaurire poterant ingentem vim æris alieni, eaque nomina, quæ Curiæ facta eſſent. Idcirco communitates ad me miſerunt rogatum, vti ab rege impetrarem id quod me Ponſdagum vniuerſorum nomine Tauoſij obſecraſſet, nimirum, vt annua regis beneficia, quæ priuatis diſtribui ſolent, in commune Rhæticum diſtribuerentur. Nec enim alio pacto communi-

tates hoc tanto ære alieno laborantes leuari poſſe. Reſpondi, fruſtra id peti, quod aliquot Helueticis pagis petentibus olim denegatum fuiſſet. Regem tamen eius rei certiorem feci. Id potiſſimùm dedi operam, vt ne neſciret, præſidij cauſa communitates adhuc immerſas eſſe ære alieno. Id rex vbi reſciuit, ne eas, quæ bonæ, & fideles fuiſſent, fidei ſuæ pœniteret, nihil cunctatus, iuſſit eam pecuniam, quæ peteretur, eo tantùm anno in commune dari, vt inde ea nomina diſſolui poſſent, quæ præſidij cauſa facta eſſent, non alia. Regię maieſtati gratiæ à communitatibus actæ.

Anno ſequenti, qui fuit milleſimus, ſexcenteſimus octauus, communitates illud ipſum petere inſtiterunt. Certè id agi conſtabat, vt rei per gentes fœderatas nunquam vſitatæ peſſimũ exemplum iteratò proderetur, nimirum, vt ea conſuetudo ſemel & iterum introducta communitatibus quę- M DC VIII

ſitum ius eſſet; aduerſus quod ſi quid poſtea ſecus fieret, id contra morem & conſuetudinem fieri meritò queri viderentur. Sanè nemo repertus, qui regi talis beneficentiæ ſuaſor eſſe auderet. At ipſe rex, communitatum precibus toties, ac tam ſuppliciter ingeſtis tunc quoque flexus, ab ſe impetrari paſſus eſt, vt tantumdem pecuniæ hoc etiam anno ipſis numeraretur. Verùm ea lege, & quidem fixa, & immutabili, ne in poſterum ab ſe quicquam deſideretur, præter id, quod ſcripto fœdere diſertim continetur. Tunc verò regia munificentia à probis hominibus concelebrata illos inuidos, & oſores noſtros immane dictu quantum perculerit. Quippe iam omnes fatebantur, non ſatis verecundè vni regi id oneris imponi, quod ab horum malorum autoribus, aut certè ab omnibus fœderatis æqualiter ſuſtineri æquum eſſet. Non tamen defuerunt, qui hoc regium munus tam inſi-

gne, & luculentum ea conditione accipi oportere obſtinatiſſimè negarẽt. Iſti videlicet, cum rege, non vt cum munifico datore, ſed propemodum vt cum debitore, qui crebrò interpellandus eſſet, agendum cenſebant. Nulla munificentia eos demereri poterat, ſi non recente aliqua ſubinde cumularetur. Ad hãc ſemper arrecti, & erecti erant. Ea re Curiæ per integrum biduũ ſummis contentionibus agitata, tandem vicit ea pars, quę conditioni, vt æquiſſimæ, ſubſcribebat. Denique hac tanta regis beneficentia conſultum conſtat ſolutioni æris alieni, quod ingens fuiſſe conſtitit. Si quid fortè reſtitit, quod haud ita multum fuit, id poſtea communitates & ſenſim, & commodo ſuo diſſoluerunt.

Cæterùm cùm epiſcopus à iudicibus vocatus non ſe iudicio ſtitiſſet, tãdem vt in contumacem lata ſententia in hunc moddum eſt. I Siquid nomine epiſcopi, extra vectigalia epiſcopatus,

Mediolani actum ſit, id caſſum & irritum eſto. II Seſe is tribus fœderibus ſubiicito; & ea habere ſummum ius in ſe & ſua agnoſcito. Id ſito intuitu earum pactionum, quę fuerunt inter eadem fœdera; excepta tamen domo Dei, ſub cuius tutela, quam protectionem vocant, Epiſcopatus eſt. III Nulla in poſterum Epiſcopus negotia tractato ex iis, quæ pertinent ad tria fœdera, quęque non ſunt iuriſdictionis epiſcopalis. IIII Epiſcopum has conditiones ſubeuntē tria fœdera ſua gratia, ſuoque fauore complectuntor; eiq; ad ſuam ſedem redire permittunto. *Si* in hæc non conſenſerit, exul eſto; tum epiſcopali dignitate multator. Tali re, domus Dei, more ſuo, alium epiſcopum in eius locum ſubſtituito. V Hæc ſententia ad omnes cōmunitates mittitor. Eæ ante diem xv Auguſti declaranto, in hac ſententia quid mutent, quid firment. VI Epiſcopus mille ducentos coronatos pendito. Ex his ſex-

centi in ſolutionem ſumptuũ impenduntor. Reliqua pars ei multa eſto. Totam ſummam numerato. Nec priùs in poſſeſſionem epiſcopatus redito. VII Tres è ſingulis fœderibus lecti viri eũ ſacramento adigunto ad ea ſeruanda quæ hoc iudicio continentur.

Per eoſdem dies in Rhætia nihil aduertebatur, quo gentis quies interpellari poſſe quiſquam crederet, cùm derepente emerſit negotiũ perplexum. Diceres id compoſitò à quibuſdam agi, ne quando à metu, & à periculis ea gens vacaret. E miniſtris proteſtantibus vnus inductus eſt in vallem Mezauci. Hęc eſt vna è Rhæticis communitatibus, iis, quæ Italico ſermone vtũtur; & ipſa Italię eſt ciſalpina. Quippe varia tribus linguis Rhætica gens eſt. Qui populi eam partem incolunt, quæ vergit in Heluetiam, & Germanię proxima, & ciſalpina eſt, moribus & ſermone puri puti Germani ſunt. Qui degunt in iis conuallibus, quæ ſunt in- MDCIX

ter altiſſima Alpium iuga depreſſæ, velut quoddam inter Italiam & Germaniam interſtitium, vtris ſint appendiculæ vix dici poſſe puto. Eos ego & ſemigermanos, & ſemItalos potiùs vocem. His eſt lingua in verbis, in inflexu nominum, in ſuauitate pronuntiationis, priſcæ latinitatis nonnihil retinens. Nec illic deſunt, qui Engadinam ſiue Ingadinam, quę pręter aliquot alias cõmunitates hac lingua vtitur, ſic dici autumant, quaſi dicas, gentem, aut linguam Latinam. Certè vel hoc ſolo idiomate à finitimis Heluetiis & Germanis notabiliter diſcriminatur. Verùm ſi ea lingua origine Latina eſt, quò longius à ſuis initiis prouecta eſt, eò plus Gallicæ & Hiſpanicæ peregrinitatis aſſumpſit. Ei nomen manſit Romanicæ, vt quoq; illi, quę omnibus Gallicis gẽtibus vernacula eſt, iis quę Germanię in latere Gallię prętenduntur. Mihi quidem nec incompta, nec inconcinna viſa eſt. Si non in dies ab Germanica ibi valeſcẽte expelleretur; ſi in rerũ tractatione fre-

Digitized by Google

quentior, & potentior eſſet, eã cultiorẽ, & elegantiorem fieri poſſe crediderim. Nec enim, quamlibet deſerta, & inculta, leporis, ac dignitatis expers eſt. Nouum Ieſu Chriſti teſtamentum ea lingua editum exſtat; tum nonnulla monumenta hominum doctorum, quorum Engadina nequaquam, vt frugum, ſterilis eſt. Redeo ad rem. Eam miniſtri introductionem in gentem Italicam quinque pagi ægerrimè tulere, propter viciniam earum præfecturarum, quas in Italia, aut ſeorſim à cæteris pagis, aut cum illis communes poſſident. Metuunt enim ne inde, vt è proximo, cultus & religio proteſtantium in ſuam Italicam ditionem deriuetur. Ipſis quoque Mezauciis, ſi perpaucos excipias, id totum negotium inuiſum erat. At Rhætici proteſtantes, qui multitudine catholicos ſuperant, propalam dicere, nullum ſpecimen libertatis euidentius eſſe quàm eam cui nomen libertas conſcientiæ, quam ſic interpretantur, vt cuique

priuato, multoque magis vnicuique communitati è duabus religionibus vtram elegerit, hanc profiteri liceat. Neque in eo cuiquam vis fiat. Addunt in valle Mezauci ante annos quinos vicenos fuiſſe miniſtrum, quem Mezaucij tolerauerint. Cæterùm quicquid in cætera Rhętia ſuper hoc negotio diceretur, Mezauciis ea nouitas intolerabilis videri. E' quinque pagis imminens periculum proſpectabant. Tunc à plebe Mezauca in locum concionis impetu itum. Quædam ibi confracta, direpta, & ablata metum miniſtro incuſſerunt, vſque eò vt is iis locis, ſui, ſcilicet, anxius, conceſſerit, & ad ſuos remearit. Ex eo omnia ibi ſedatiora fuere. Verùm ea quies haud diuturna. Quippe Rhętici miniſtri rem vrgebant; & omni ope enitebantur, vt Mezaucij ad eum miniſtrum tolerandum à cæteris communitatibus adigerentur. Huic incœpto iam Mezaucij non tam ſuis, quàm quinque pagorum viribus freti acriùs reſiſtere au-

dent. Suæ libertati vim fieri clamant, qui cogantur ad id, de quo communitas, latis de more ſuffragiis, nihil ſtatuerit. Contra Rhætici proteſtantes hîc verè omnium libertatem agi dicunt, cui ſanè, ſi incolis in ſua miniſtrũ inducere non liceat, apertè vis fiat. Porrò qui ſibi è Mezauciis eum miniſtrũ mitti poſtularent, eorum fuit numerus valde exiguus, certè numerabilis, quamuis à quibuſdam exaggeraretur adiectione multorum nominum, quibus deſignarentur pueri, ancillæ, familiares; vt ibi proteſtantes plures quàm eſſent, eſſe cenſerentur, & ei qualicunque turbæ aut populi, aut multitudinis nomen indi poſſet. Vtriſque libertas in ore erat, & vtrinque vim expediri apparebat. Ipſa quidem communitas Mezaucij, ſi cæteræ communitates acriùs pertendant, & ſua, & proximorum pagorum arma oſtentat. Nec minori acritate ciſalpinæ communitates, ſuis ſuas vires præſto fore

aiunt. Iamque hæc certamina in vniuerſæ gentis perniciem eruptura videbantur, & in dies maiores motus nuntiabantur, cùm de ea re ex itinere, nam in Galliam tunc quidem proficiſcebar, ad ſenatum Tigurinum literas dedi. At illi patres, qui quantum turbarum inde conciri poſſet, animaduerterent, Rhætos per literas amicè, & accuratè monuerunt, ne in negotio tam anxio, & periculoſo pertinaces eſſent; ac ne illam miniſtri introductionem alieniſſimo tempore nimis vrgerent; ne inde motus implacabiles inter omnes fœderatos excitarentur. Indidem quoque literas dedi ad Triumuiros, atque adeò ad miniſtros, eos, qui prudentia, & autoritate cæteris antiſtare crederētur. Omnes vehementer hortatus ſum, vt quando ſingulari quodam Dei beneficio Reſpublica ex atrociſſimis ſeditionum vulneribus reſpirare inciperet, ne eam nouis, & pluribus periculis obiicerent. In primis, ne ſe ab generali

concordia diuelli paterentur; ne, dum religionem promouere ſtudent pacem conuellant.

Cùm in aula ad tres menſes exegiſſem, in Rhætiam ad meum munus redij, vbi omnia inturbida reperi. Ad Triumuiros literas dedi, in hoc vt pittagum haberetur. In eo expoſui mandata regis, quæ eô pertinerent, vt eius delectus, quem tunc rex peteret, ſuam partem Rhęti ex fœdere præſtarent. Is delectus fuit militum decem millium, futura pars eius exercitus, quem rex ad Cleuēſe, & Iuliacenſe bellum miſſurus eſſet. Regis deſiderio à Rhætis promptè ſatisfactum.

Haud multò poſt, communitates eo quoque anno penſionum particularium pecuniam ſibi dari tertiùm petierunt, ad hanc tam inuerecundam petitionem ab illis ipſis impulſæ, qui publicæ quietis hoſtes, & noſtri ſemper aperti, niſi fortè cùm regis beneficia acciperent, oſores eſſent. Enimue-

ro ſeriò eas monui, ne nimis audaci poſtulatione regis benignitatem, & indulgentiam fatigarent. Meminiſſe vniuerſos oportere, dixi, qua lege & conditione poſtremum regis beneficium acceperint. Annon ſcriptione ab vniuerſis edita, & conſignata expreſſum eſt, Si communitatibus data eſſet ea pecunia, quam iteratò petiiſſent, nihil ſe in poſterum ab rege petituros, quod non fœdere comprehenſum ſit? Vnde ergo hæc tertia eiuſdem rei tam indecora poſtulatio? Cùm vera ſibi dici agnoſcerent, non vltra tetenderunt.

Noſtri quoque beneficiarij, quos pẽſionarios vocant, cœperunt ſenſim redire ad me, ij, ſcilicet, qui eſſent earum communitatum, quæ legem de non accipiendis penſionibus latam abrogauerant, eaſque penſiones à ſuis accipi permittebant. Cùm iam agminatim ad eam pecuniam accipiendam concurſus fieret, ipſe, qui recentibus

experimentis doctus eſſem, quàm infructuoſè ea regis beneficia collocarentur, nouam eius diſtributionis rationem mihi ineundam duxi. Ea fuit plurium ſtoliditas longa conſuetudine coalita, vt ſibi eas penſiones, quòd promptè, multa facilitate, & ſingulis annis diſtribuuntur, ab rege deberi, tanquam è ſtipulatu, crederent. Hunc phanaticum errorem ex eorum animis euellendum ſuſcepi. Igitur antequam ea pecunia cuiquam numeraretur, omnes cuiuſpiam communitatis beneficiarios per interpretem regis, me præſente, admoneri volui, eam pecuniam ab inſigni magni regis benignitate proficiſci. Qua ſi ſe quiſque officiorum frequentia, & aliis obſeruantiæ erga regem ſignificationibus dignum præſtaret, in hunc proximo ſequenti anno id beneficij collatum iri. At qui ſecus fecerit, qui ſe ab regis amicitia, & obſeruãtia alienum oſtenderit, hic eo beneficio, inquam, mul-

tabitur. Nec enim eas penſiones dari, quoad quiſque vixerit, ſed quoad regi gratus eſſe, ſeque ei iugi obſequio probare porrexerit. Regis beneficia in indignos conferri, indigna res eſt. Dignos non alios ducimus, quàm vnos illos, qui ſe gratos, & regiæ benignitatis memores, quoties res poſtulat, præbent. Porrò hoc diſcrimen eò pertinere dixi, vt in quos ea munera diſtribuuntur, ita ſe gerant, vt à nobis ingrati animi crimine exolui poſſint. Regi non aliter ſuam liberalitatem iucundam eſſe poſſe, ſi non eam grati animi excellentia vt fructuoſam proritat. Alios quoſdam abuſus, qui eam regiam munificentiam deuenuſtarent, ſuſtuli, eique vti ſuum decus, & gratia conſtaret, elaboraui. At certè eorum nomina, qui in ſeditione, ſe Gallicæ amicitiæ deſertores aliquo dicto, factoúe declaraſſent, qui Gallicum fœdus rupiſſent, qui nullam regij nominis rationem habuiſſent, beneficiariorum

riorum albo eraſi. Et quos meliores fuiſſe, aut fore ſpes eſſet, hos in eraſorum locum ſubſtitui. Qua ratione tam accurata non parum profici denique cognitum eſt. Ad hunc modum nonnullarum communitatum hominibus tunc regię penſiones datæ. Aliis me eas daturum negaui, iis, videlicet, qui eſſent animo à nobis abalienato, aut qui eſſent eius communitatis, quæ in abrogationem legis de non accipiendis penſionibus à furentibus latæ non cõſenſiſſent. Hoc pacto denique perfectum eſt, vt illam legem, Hiſpanicæ factionis partum, primò paucæ cõmunitates, mox plures, poſtremò omnes tacito conſenſu abrogarent.

Per eoſdem dies nonnulli, qui dicerẽtur fuiſſe nouem, ex arce Montecchij egreſſi Rhęticam ditionem ingreſſi sũt. Et, prohibente nemine Clauenam & Plurium otioſè, & propalàm perluſtrarunt. In his fuit is, qui, abſente arcis præfecto, ibi pręſidio imperabat. Id MDCX

quod quò pertineret, reputãtibus perſpectum fuit, id non inſcio, aut etiam iubẽte Fuentano factum, cuius cupiditas Valtellinæ, & Clauenæ immineret, eamque tenere neſciret. Ea tamen res cùm cis Alpes perlata eſſet, pari incuria, qua cætera multa huius generis, audita, & neglecta.

Adhuc negotium Mezaucij cæteræ communitates, quæ, vti dixi, ex magna parte ſunt proteſtantes, violentiùs tractabant. Miniſtrum eò rurſus induci omni ope contendebant. Et cùm Mezaucij in eo vim ſibi fieri clamarẽt, eò deſperationis perductos cõſtitit, vt eos à Rhętorum corpore diuelli, & Heluetiis adiungi per hãc occaſionem poſſe creditum fuerit; quamuis per id tempus inter proximos Heluetios & Mezaucios, propter certamina confinium, & paſcuorum factæ eſſent quædam repreſaliæ. Quippe cùm hac ratione vterque populus ſatis vltioni ſuæ conſultum putaret, is eius diſſidij tunc

terminus fuit.

Iiſdem diebus atrox facinus factum Traonæ, quod eſt oppidum Valtellinæ. Ibi certè in magnum periculum rem adductam conſtitit. Traonæ habitabat quidam Rhætus; & ibi iudex, Poteſtatem vocāt, fuerat. Is cum quodam exule ſimultatem exercebat, à quo nocte concubia in cubiculo confoſſus eſt. Hac atrocitate in Rhætia nūtiata, nouem viri protinus lecti, qui ſtipati ſexaginta ſatellitibus Traonam profecti, ſe eius facinoris quæſitores, cognitores, iudices tulerunt. Sed qua mente iſti id negotium ſuſcepiſſent, ſuis moribus continuò prodiderunt. Acta iudiciaria ita confecerunt, vt in iis vix vllum ſcripti iuris veſtigium appareret. Et cùm in oppido Traona nemo tanti criminis conſcius arceſſeretur, tamen quoſdam honeſto loco homines, quòd diuites eſſent, iſti reos ſubdiderunt, ſuæ rapacitati prædam. Quinetiam cunctam Traonenſem,

plebem, vt eius immanitatis cõſciam, inſimulabant, quòd ad eum ſicarium cum ſua percuſſorum manu comprehendendum, aut opprimendum non vniuerſa conſurrexiſſet, nec ad excitandos oppidanos quiſquam tintinabulum pulſaſſet. In quoſdam ditiores primùm atrociter debacchati, deinde in eorum penates, quos animo hauſiſſent, impetum fecerunt. Nullum ſæuitiæ genus omiſit rapinarum, & vltionis auiditas. Porrò quo maiori iuris prætextu illa admittere viderentur, atque adeò quò ipſis latior pateret campus ex opulentiſſimo quoque, qui modo iniuriæ opportunus eſſet, ſpolia referendi, tantùm non vniuerſam Valtellinam huius criminis ream arceſſebant. Ne multa, Iſtis quiſquis locuples eſſet, nocens fuit. Ad tantam immanitatem non Traonenſes tantùm, ſed cuncti, prope dixerim, Valtellinenſes exciti ſuam ſortem ſuſpirando miſerari, multoſque gemitus

deuorare. Iura & conſtitutiones gentis, quæ vocant ſtatuta Valtellinenſia, in quæ ſe Rhæti ſolenni ſacramento adegerunt, nec aliter à Valtellinenſibus nulla vi coactis, ſed per voluntariam deditionem facti ſunt domini ac poſſeſſores vallis eximię vbertatis, omnia, inquam, illa, quæ par eſt eſſe ſacroſancta, ab iſtis nunc rupta dicere. Fidem publicam ab iiſdem proditam; omne fas gentium eſſe violatum, flebiliter conqueri. Quid multa? feſtinato lectu in Rhætiam mittuntur certi homines, qui de iſtis iudicibus, vt de ferociſſimis prædonibus, pro rei atrocitate, querantur; æquitatem & opem Reipub. aduerſus hanc immanitatem implorent. At vniuerſi Deum, flagitiorum vindicem, & ſempiternum innocentię propugnatorem teſtem aduocare ſe dicunt; Ad quem, nimirum, ſi ab iſtis contempti fuerint, vniuerſi prouocent. Rhæticum ſenatum nuntiis edoceri volunt, omnes

leges, omneſque conſuetudines nunc eſſe labefactatas; certè iſtos iudices inſigni quadam peruerſitate in ſingulas horas fieri immaniores. His nuntiis in Rhætiam proficiſcentibus adiunxit ſe magna manus hominum agreſtium, quos vltima deſperatio compellebat apud obuium quemque lamentabiles voces, & lachrymas vbertim effundere. Vrbs Curia hoc hominum genere, ipſi gemitu, fletuque redundabant. Contra, iudices, & qui iudicibus fautores eſſent, hos oſtendere, ſicuti ſeditioni, & apertæ rebellioni occaſionem quęrentes. Nam de qua re meritò querantur, nullam eſſe, niſi ſi iudicum ſeueritatem allatrare, id ſibi licere putant, quæ tamen illorum improbitate multò ſit inferior. Quantùm abeſt, vt non apertè profiteantur defectionem, quam iamdiu meditati ſint, qui huc, nullo legitimo miſſu proruperint, & judices viros bonos à

Repub. lectos ſuis mendacibus, & improbis vocibus iniuſtitiæ, & crudelitatis inſimulare, ac tantùm non in vrbe Curia ſeditionem excitare audeant? Annon ſola impudentia prodnone animum contumacem, & Reipub. inimicum? Puniendos ergo, non audiendos eſſe eos, à quibus admiſſis & auditis præter ferales motus nihil aliud expectari poſſit. Talibus vocibus omnia Curiæ perſtrepebant. At Fuentanus arrectis auribus hæc excipiebat. Certè caſum occupandę Valtellinæ propter iſtorum acerbiſſimas expilationes ſibi dari exiſtimabat. Iudicibus patrocinabantur illi primores. Cęterùm etſi Valtellinenſium queſtus nemo palàm aſpernabatur, tamen cùm nullum adhuc iudicium Rhætici ſenatus exſtaret, quo teſtatum fieret, ea quæ ab iſtis nefariè Traonæ admiſſa eſſent, Senatum populumque Rhęticum facta nolle, & ſubiectorum ſalutem vtriſque eſſe cu-

ræ, res ad defectionem ſpectare videbatur. Hac de re ipſe cum paucis viris bonis, quibus cum propior mihi vſus eſſet, agerem, comperi omnes meritò metuere, ne denique illa tanta improbitas alicuius magni motus cauſa eſſet. Horum precibus adductus ſum, vt pittagum, quod paulò poſt Curiæ fuit, ingrederer. Ibi accuratiori oratione, & ſcripto comprehenſa, nam & res magna agebatur, & mea verba inſidiatrices quorumdam aures excipere non eram neſcius, eum conſeſſum monui, vt ſi ſe, & vniuerſam Rempub. ſaluam cuperent, tandem aliquando ad tantum fragorem excitarentur, & Rempub. quæ ſummo diſcrimine nutaret, capeſſerent. Hæc magno aſſenſu excepta ſunt, eorum potiſſimùm qui hîc rerum ſummam agi exiſtimarent. Sed ibi, ſuperante gratia illorum, qui iudicibus patroni eſſent, ſequutum eſt

decretum in hāc ſententiā. Alij iudices legantur, qui acta, quem vocant proceſſum criminalem, vnà cum illis, qui iam rem cognouerint, de integro videant, & coniunctim omnes, vt ſibi viſum fuerit, ſuper hoc toto negotio ſententiam ferant. Valtellinenſiū queſtus ſilentio tranſmiſſi. Certè cum hoc decretum nulli eorum, qui tot iniuriis contriti fuiſſent, ſatisfaceret, nonnullam tamen æquioris iudicij ſpem oppreſſis faceret, poſtquam diu res vtrinque agitata, denique iis conditionibus tranſacta eſt, quę, qualeſcunque eſſent, vtriſque omni mutabilitate potiores viſæ.

Sub hoc tempus multæ habitabiles caſæ in arce extructæ, & plurima eius generis ædificia quantæuis militū multitudini laxiſſima. Quod mirere, quantum lignorum in eam conſtructionem impendi neceſſe fuit, ea in agro Clauenēſi exciſa fuerunt, omnibus videntibus, & nemine impediente. Suſ-

piciones eas, quæ hinc orirentur, cumulabant bellici paratus, qui Mediolani ingentes eſſent, multiſque rebus proderentur, quamlibet ſeriò diſſimulati.

E Germania quoque in Rhætiam allatæ ſunt literæ, quibus cognitum eſt, fœderatos Catholicos nouas, magnaſque res moliri, quæ denique in Heluetiorum & Rhætorum perniciem erupturæ eſſent, quorum euidentiſſimum ſpecimen futura eſſet amiſſio Valtellinæ. Apud S. Petrum, quod eſt oppidum ditionis Auſtriacæ, vnius diei itinere Curia diſtans, peditum delectus impigrè tunc habitus à tribus capitaneis, quorum vnus Maximiliano, alter Ferdinando Archiducibus, tertius Bauariç Duci operam dabat. Igitur quorumdam monitu prçcipua autoritate hominum tranſmontanæ communitates, quç periculo proximiores eſſent, miſerunt ſpeculatum omnes ad arcem

aditus; quis eò accederet quis inde digrederetur; quid in iis locis noctu, quid interdiu fieret. Hæc, taliaque crebrò nuntiata etſi Rhæticam multitudinem anxiam habebant, nullus tamen quid facto opus eſſet, expediebat. Et propter hanc omniũ incuriamne, an torpedinem? publica res deſerta, &, quamlibet gliſcentibus periculis, nullo cuiuſquam prouiſu, cuilibet ingruenti malo expoſita erat. Ad vltimum, Triumuiri, crebris bonorum aliquot virorum monitis exciti Curiam conuenerunt, ea mente, vt aliqua validæ alicuius propugnationis, publicæque ſecuritatis ratio iniretur, qualem res ac tempus deſideraret.
Verùm iſti rei cœptæ non inſtiterunt. Tantùm me adierunt ac de Republ. eos mecum ſermones habuerunt, quibus mihi rem iamdiu perſpectam confirmarunt; Quippe rei Rhæticæ curatores eſſe in hac ſententia, vt ſibi quidem, qui nulla bella prouocent, nul-

Digitized by Google

lum putent externũ hoſtem eſſe. Si tamen quiſquã exſtat, eam rem nihil ad ſe, verùm ad fœderatorũ curam pertinere. Nimirũ iſti omnes fœderum vtilitates auariter & ſcrupuloſè conquirũt. Si quid fortè ex iis oritur incommodi, has epulas fœderatis glutiendas relinquunt. Sanè ſiquid grauiùs nuntiaretur, ac tale quod extraordinariam curam, ac promptum remedium deſideraret, eam rem feſtinabant apud legatum deponere. Tunc quidem, dum ſuæ incuriæ alienam curam prætenderent, ſe omni ſollicitudine alleuabant, omne onus ei imponebant. Ac tunc quidem ita animatos conſtitit, vt, ſiquid ſumptuum in ſui propugnationem fieri neceſſe eſſet, horum maximam pártem à fœderatis, reliquam à ſuis ſubiectis tolerari æquum cenſerent, his ſe communitates prorſus exonerarent. Ex eo ſermone, quem mecum tunc habuerunt, id ipſum mihi

perſpicere datum. Sed cùm de ea re mecum ſæpius,& intentiùs egiſſent,ex eo quod reſpondi intellexerunt, Naturali & omnium gentium iure vnumquemque teneri ad ſe, & ſua tuenda; neque, quotieſcunque ea res agitur, alium quemquam morari. Vbi quiſque quantum opis in ſe eſt, ad ſui tutelam contulit, ſi id inualidum deprehenditur, tunc rectè alienum auxilium implorari. Non ergo ad primã quamque auditionem, nec priùs explorato quantum in ſe ſit opis, alienæ opes circumſpici debent. Nam ſe, ſuam libertatem, & fortunas aliis tutandas tradere, nec vlla intentiori rerum ſuarum cura diſtineri, eſt facinus hominis perire volentis, nihil certè de ſua ſalute cogitantis. Qui ſibi ipſe curæ non ſit, hunc ridiculè poſtulare vt cuiquam alij ſit. His ſæpius auditis, de ea re ad Venetum principem literas dare ſtatuunt. Nam quæ Valtellinæ pericula impendent, eadem Venetis imminere

perſuaſum habent.

Die decima quarta Maij rex nobis infando parricidio ereptus. Qua atrocitate Curię nuntiata, magiſtratus Curienſis venit ad me, & quidem cōpoſitus in mœſtitiam, quam multo gemitu, & lugubri oratione teſtatus, apud me profeſſus eſt, velle ſe in fœdere, & noui regis amicitia fideliter, & conſtanter perſeuerare. Ibi quidem in modum lugubrem, funeſtumque cunctorum facies flexa & obducta fuit.

Iiſdem diebus cùm ſenatus Venetus Madruccio tranſitum per ſua denegaſſet, is agitare cœpit an per Engadinas, & Valtellinam tranſire poſſet. Ad hunc nuntium Engadinenſes exciti è ſuis octingentos in armis præſto eſſe iuſſerunt. Aditus quoque ad ſe diligenti, & valida cuſtodia munierunt. Ea re Madruccius per Verdenbergenſem comitatum, qui eſt ditionis Glaronenſis, cum ſua legione tranſiit.

Inde perrexit ad quinque pagos, quo itinere itur ad montem ſancti Gotardi.

Poſt aliquot dies ipſe, iuſſu, verbiſque regis Rhæticis Triumuiris dixi, Regem in ſuam amicitiam recipere Rempub. Rhæticam; eamque gentem ſibi fœderatam vniuerſam eadem beneuolentia complecti, quam rex parens ſuus ei ſæpe clariſſimis documentis teſtatam feciſſet. Id cupere cunctis eſſe perſuaſum. Proinde à regia maieſtate illa expectent, quæ à certo amico, & fœderato expectari debent.

Per idem tempus Tigurini, & quinque pagi, orto in confiniis inter quoſdam priuatos de celebratione eccleſiaſtici cuiuſdam ritus iurgio, cùm hi id quod ageretur, licere, hi non licere dicerent, hoſtilia inuicem meditari cœperunt. Certè per hanc ſpeciem vtrique ſe ad bellum inſtruere videbantur. Tigurini, & cũ his Sangallenſes Rhætorum auxilia rogatum miſerũt. Cùm

quinque pagi Fuentano freti eſſent, eius iuſſu Madruccius cum ſua legione ſubſtitit apud eos. Ipſi oppidum Rapeſuillam, quo, velut interſtitio, præter Lacham, & quędam alia, inceſſus in Rhætiam clauditur, valido præſidio firmarunt. Rhæti legationem in Heluetiam mittunt, de ea controuerſia, ſi fieri poſſet, finienda, & Heluetica quiete continuanda.

Eodem tempore de legatione ad regem mittenda à Rhętis conſilia haberi cæpta. Denique à ſingulis fœderibus vnus in eam legationem deſtinatus eſt. Id fiebat inſtigantibus quibuſdam, quorum animos prę cæteris impotens ambitio, & hiatus munerum aulicorũ acerrimè exercerent. Hanc legationem in hoc mitti dicebant, vt apud regem nuntia, ac teſtis eſſet eius mœſtitię, quá vniuerſa Rhętica gens è teterrimo parricidio contraxiſſet; ſimulque regi de regio culmine Rhęticę Reipub. nomine gratularetur, eique omnia precaretur

tur

tur fauſta & felicia. Vbi hoc reſciui, monui, eos, de quorum probitate, & prudentia mihi compertum eſſet, huic deſtinationi perficerent vt intercederetur; & ambitioſum, & ſuperuacaneum officium Reipub. neceſſitatibus condonaretur. Quo affectu ſe impulſos dicant, me iam perfeciſſe vt regi innoteſceret. Hoc quidem nomine per me talium internuntium cumulatè vtrobique ſatisfactum eſſe. Parcerent ergo non neceſſariis officiis regem fatigare. Huic ſuſceptioni, præter alios, præcipuus inſtinctor erat is, quem Veneti fœderis cum illo Quinterio fundamenta iecisſe dixi, homo ingenij auidi, animi inquieti, & multiloquentiæ vęcordis. Hunc id potiſſimùm aſperabat, quod, cùm ij legati eligerentur, ipſe à ſuis popularibus poſthabitus in ſuo fœdere fuiſſet. Nec tamen primæ electionis deſtitutione refriguit; ſed eum, qui in illo fœdere electus eſſet, pecunia ſubmouere, & ſe in eius locum ſub-

ſtituere non ſolùm tentauit, ſed &, ſi legationi locus fuiſſet, planè perfecerat. Huius quidem deſtinata ea erant, vt in Rhætia vnus inter omnes emineret. Fuit vnus illorum primorum, quorum de ingeniis ſæpe memoraui. Hic oſor plebis, eique infenſus vnà cum illo aliorum primorum globo, Rhętiam in paucorum poteſtatem redigere omni ope nitebatur. Hos vocabat nobiles, ſe in primis. His ordinem à cæteris diſcretum aſſignabat, cui nomen nobilitatis indiderat. Certè quoties Rhęticæ Reip. mentio iniiceretur, iſte nobilitati tantum tribuebat, quantum vniuerſis vix quiſquam. Huius potiſſimã rationem à regiis, aliiſque legatis haberi oportere vbique intonabat. Et verò non tam ſtudiis communitatum tunc quidem, quàm arbitrio illorum primorum potiſſima agebantur. Iſte ergo ſpe huius legationis deiectus frendere. Iniqua iracundia potiſſimùm in me ferri. In ſermonibus, quos cum illo ſuorum com-

bibonũ grege in popinis haberet, nec
regẽ,nec ſacra legationis reueritus, vbi
vino incaluiſſet, non dubitauit eructa-
re minas in me, nihil tale ſuſpicantẽ,ac
dicere, fore vbi me vlciſceretur, quòd
cupitis eius,vt ipſe ſibi perſuaſerat,ob-
ſiſterem. Sanè tenui,vt de ea legatione
Reſpu. decerneret in hanc ſententiam,
Si Heluetici pagi ad id legatos in Galliã
miſerint, noſtri quoque legati illò pro-
ficiſcantur. Si inde nullus iturus eſt, ne
ex noſtris quidem quiſquam. Porrò
Venetę factioni iſte vſque eò ſe ducem
prębuerat,vt eius ſecretarij,qui res Ve-
netas in Rhætia curaret,quamdiu is ab-
eſſet,vicem expleret. Sanè ad eum,qui
cum ſibi Venetiis rerum teſſera cõmu-
nis eſſet,ſtatis diebus literas dabat; le-
gati partibus ſuſceptis, ſcribebat quò
quæque loco res eſſet. Cùm ea res in
ore omni populo eſſet, cumq; animus
conſcius pœnas, quas propterea iam-
diu meritus luiſſe debuerat,expectaret,
cogitare cœpit,quo munimẽto ſeptus,

dein ſibi caput incolume foret. Nam multa mille quingentorũ coronatorũ ei ante bienniũ à Strofrichto dicta non pœna,ſed pœnæ prænuntia fuerat,eiq; noxa idcirco dicebatur intercalata veriùs quàm condonata.Inter cętera,quę multa animo voluebat,plurimum ſibi ſecuritatis, atq; adeò autoritatis acceſſurum putauit, ſi alicui regiarũ rerum curationi,qualiſcunque,& quantacunque eſſet,admoueri poſſet.Hinc ſi non prorſus extingui,at leniri,&minui poſſe putauit inuidiã, & odia vniuerſorũ, quæ è Venetarũ rerum flagrantiſſima, & pertinaciſſima procuratione in ſe iãdiu concepta fuiſſe non erat neſcius. Huc ergo homo immodicus ęſtimator ſui ſuas veſanas cogitationes, & omnes neruos intendit, vt ſeſe rerum noſtrarum partem faceret. Fortè haud multò poſt,quàm ipſe è Gallia redij, Ioannes Florinus regius interpres,qui annos tres & quadraginta eo munere functus eſſet, morbo attineri cœpit. Iſte, qui bi-

dui itinere ab eo diſtaret, priuſquã vlla ſigna mortis in eo apparerent,per literas à me vehemẽter petiit, vt filius ſuus natu maximus regij interpretis munere honeſtaretur. Reſpondi, non licitè agi de munere eius,qui adhuc ſit in viuis,& fortè diutiùs futurus ſit. Si qua alia re ei cõmodare poſſem, intellecturũ quantum ſuá cauſa velim. Tũ verò iſte præcipiti feſtinatione priores literas alteris cumulat. His medicorum ſermone ſibi compertum ait, hunc illi morbum lethalem eſſe. Petit,vt id meo beneficio aſſequi poſſit, in quo præcipuã ſuarum fortunarum partem repoſitã putet. Vt antea reſpondi,non eſſe in manu mea, de eo munere quicquam ſtatuere, eo ſuperſtite, cuius ſit. Ad poſtremum,vt Florinus vita conceſſit,irrequietus ille acriore eius rei cupidine adactus Alteſtinũ ad me venit, atq; ita propoſitum premere inſtitit,vt illæ non ampliùs eſſent preces,ſed efflagitatio,quæ improbæ curioſitati & præcipiti ambitioni

ancillaretur. Quippe in ſe, & ſuis tantũ momenti eſſe ſibi perſuaſerat, vt non ſibi beneficium dari, ſi ipſi in eo gratificarer, ſed nos accipere videremur. Ipſe quidē tacitus hominis audaciā non ſatis mirari poteram. Nam qui ſibi eſſet conſcius, ſe renouationi Gallici fœderis in ſua cōmunitate obnixè reſtitiſſe, quique adeò, propter hanc ingratam & infidelem mobilitatē, albo penſionum à Merico regio legato eraſus fuiſſet; qui porrò verbis, & in ſpeciem Gallico fœderi hactenus faueret, quatenus regis magnitudine Venetũ niti videret, & quidem aduerſus Hiſpanicā potentiā, contra quam ipſe Venetiis in fœderis ſolenniis illud fœdus pactũ dixiſſet, Ille, inquam, ipſius huc cōfidentię venerat, vt regiũ munus affectaret, eiq; manus admoliri auderet; nimirum, vt eorum, quæ à nobis, & apud nos agerentur, cōſcius, & hinc autoritatem adeptus, eam velut haſtā ſui furoris in nos quādocunq; vellet, improbiſſimè contorqueret. Verùm vt nullā per me ſuæ libidini viā

patere vidit, aliò vertit. Erat in Gallia quidam gentilis eius beneficiorum eccleſiaſticorũ captator, nõdum captor, ingenio & moribus ſanè quàm huic veteratori perſimilis. Certè vter deterior eſſet, difficile dictu fuit. Iſte noſter cum illo aſſiduis precibus perficit, vt is hoc ſuum negotium in ſe recipiat. Facilè impetrat. Is quidem omnia quę iſte velit, ſe, vel ipſo inuito legato, effecturũ prolixè pollicendo ſpem eius non parũ inflat. Ergo vt hæc promiſſa perficeret, quibuſdam aulicis primoribus ſubdolè adrepens, hunc eis inſuſurrauit in Rhętis eſſe hominem præcipua autoritate, atq; adeò Gallici nominis cultorẽ vnicũ. Quo plus autoritatis habiturus eſſet eò res, rationeſq; regis apud Rhætos fore meliori loco. Cùm hæc atque talia multa homo nihili ad hunc modũ deblateraret, ita creditum eſt ei, vt nullũ tamen codicillũ, aut diploma regis auferret, ſed ad me literas tãtùm cõmendatitias impetraret eius, cuius autoritati me plurimũ tribuere non neſcius eſſet.

Certè hac machina pudorem me ũ, tũ quicquid eſſet mearum partium ſubrui poſſe credidit. Id mihi intellectũ vt fuit, equidem non vltra cunctatus omnem hominis falſidici fallaciam apud eos, quorum auribus adrepſiſſet, per literas apertã confutaui. Vtrique detraxi perſonam. Cæterũ perfeci ne hic in aula illud munus inuncaret; ne hoc proſpero ſucceſſu ouans, nos, vt deceptu faciles, ſuis deridendos propinaret. In Rhætia quidem nihil nec auditu, nec dictu tã prodigioſum tũc fuit, quàm homini tã à nobis auerſo, tamq; impotenti, quiq; adeò vix eſt compos ſui, ex regis autoritate autoritatem quæri. Re in aula, vt eſſet, intellecta, ille huius patronus obmutuit, & quidem illius, cuius ad me literas cõmendatitias impetraſſet, potiſſimũ autoritate deterritus. Neuter exin cõmendatione dignus eſt exiſtimatus. Sed nonnullum, opinor, operæ pretium eſt, cognoſcere, qua ratione homo ad omnem impudentiam duratus vna epiſtola commendatitia, quæ

mentiendo extorta fuiſſet, me nihil tale ſuſpicantem illaqueare cogitauerit. Huius filius, cui obiecta ab illo, qui in aula rem conficiendam ſuſcepiſſet, leuis aura ſpei iam eſſet certa res, è Gallia in Rhætiam ad hoc munus capeſſendum proficiſcens, quacunque tranſiret, ſe apud Rhętos regis interpretem ferens, & hoc imaginario honore conſpicuus in Rhætiam peruenit. Ad filij complexum pater, eius aduentu cognito, aduolat. Cùm ei per vrbem Curiam tranſeundum fuiſſet, ad me venit; dixitque mihi, velle ſe filium ſuum adducere ad me, ſcilicet, è Gallia, vbi literis operam dediſſet, redeũtem. Tantum eſt. De munere interpretis ne verbum quidem. Ego, quæ meæ partes eſſent, gratulatus homini ſum. Et is ita tunc à me diſceſſit, vt qui breui vnà cum ſuo filio rediturus eſſet. Et verò intra biduum, cùm medium diei eſſet, mihi nuntiatur, vicum vrbis, quà ad meas ædes à porta rectà iretur, perſtrepere multo equita-

tu. Et iam aſpiciebatur iſte filij ſui latus tegens, vterque inter multos equites medius. Omnes deſcendunt ex equis, & proximam tabernam diuerſoriam ineunt. Continuò domum meam mittitur qui percõtetur quid rerum agam. Ei dicitur, me menſa ſurrexiſſe. Iſte omnis moræ impatiens multo comitatu graditur ad me. Nam, præter equites, iam nonnulli è Curienſi magiſtratu, ad eum confluxerant, ſcilicet, cùm inaudiſſent, eum, qui ſtipatus tot equitibus vrbem iniſſet, eſſe regium interpretem, ad quem ſalutandum concurſus fieret. Et iam hæc vox tota vrbe volitabat. Iſte filium proximum habens introiit ad me; & cum multis cœnaculum in quo eſſem, ingreſſus, epiſtolam obſignatam manu tenens infit, Se adducere ad me hunc filium ſuum, qui munere interpretis regij in aula honeſtatus eſſet. Obſecrare, vt ipſi per me eo munere fungi liceat. Et cum dicto mihi illam epiſtolam in manum dat, quæ aliud loqueretur nihil, niſi leuem

filij eius commendationem. Me tunc quidem quodam veluti ſtupore correptum paululùm hęſiſſe fateor, & quo pacto furentem hominis audaciam ad me graſſantem propellerem, diutulè cogitaſſe. Nam etſi os hominis probè noueram, nunquam tamen adeò durum credideram, vt ipſe, aut filius ſuus inuaderet munus, quod neutri datum eſſet, non à rege, non electione legati, vt fieri cõſueuit. Tunc iis omnibus, qui adeſſent, palàm factum eſt, iſtum ludere ludos inſaniæ, & quidem multitudini oblectandæ, & illis, quos ſibi teſtes aduocaſſet. Denique illo repentino, & improuiſo aduentu ſuo, tum inſolita pompa, & illa audacia tam exprompta, & muneri, & pudori meo vim fieri poſſe credidit. Sed me aduerſus talia tam munitum expertus eſt, quàm ipſe ſtoliditatis manifeſtus eo facto fuit. Tunc ipſe paulùm dubitaui, an eius amentiæ vulnera illico in omnium conſpectu, id quod meritus fuerat, nudarem. Sed mihi vim feci, &

ſatis habui hominem leniter concaſtigare, ne, ſi vehementiùs ſtomacharer, homine tam impotente impotentior eſſem. Quapropter eũ, & pauculos alios eius affines in meũ interius cubiculum cùm ſeuocaſſem, eum ſic obiurgaui, vt me meæ magis modeſtiæ rationem habuiſſe, quàm illius immodeſtia cõmotum fuiſſe qui aderant, intellexerint. Tu, inquam, ecquos mores colis, qui exiſtimaſti pudorem meum ab inuerecundia tua proſterni poſſe? Etiam multos huc adduxiſti, vt mihi, hæc celebritas, & amicorum tuorum frequentia eſſet vinculum & neceſſitas. Vſq; eone tibi idoneus viſus ſum, in quo ſic illuderes? vſq; eone tibi & munus legationis, & ipſe legatus ſum tam vilis, vt me ſtertentem hiſce tendiculis irretiri poſſe credideris? Annon te oportuit, antequam tam audax facinus cœptares, paulùm compreſſa iſta tam præcipiti auiditate, mecum de re tota conuenire? Certè ſi mihi regis literas

reddidiſſes, quibus, vt morem tibi gererem, iuberer, non leuiter peccaſſem, ſi iis continuò obtemperaſſem, nec priùs rege de re tota, vt ſe habet, monito. Etſi enim quidē iuſſa regis, mihi vt par eſt, ſunt ſacroſācta, ita tamē iis regia maieſtas obtēperari vult, ſi non per ea & autoritati, & rebus, rationibuſque ſuis derogatur. Si tu de re aliquid mecum communicaſſes, nec nunc laborares, nec meam modeſtiam tua immodeſtia vexatum veniſſes. Erras, ſi exiſtimas, ea quę regis ſunt, flecti debere ad cupidines, vtilitateſque tuas. Hîc cùm ei lachrymæ non pœnitētiæ, ſed indomitæ rabiei teſtes manarent, & voces ſupplicibus ſimiles emitteret, & qui aderant eius propinqui, & amici mecum multis precibus agerent, verſus ad eos dixi, Veſtrum eſto iudicium, quomodo de me mereatur is, qui ſimplicitati meæ malitiæ ſuæ laqueos tetendit; qui nullum fraudis, & audacię genus omiſit, dum mihi extorqueret id, quod ſi incurioſiùs tra-

ctarem, deſerti muneris mei reus eſſem. Tunc illi omnes, qui eſſent rei indignitate perculſi, vt ſe graui pudoris ſarcina, qua illius cauſa premebantur, exſoluerent, abierunt, ſeque poſtridie ad me redituros dixerunt. Poſtera luce mane venit ad me quidam gentilis eius, qui cunctæ gentilitatis verbis à me contendit, ne, ita vt is meritus eſſet, cum ipſo agerem ſeuerius. Dummodò, inquam, regi qua ratione caueri debet, ea ratio ineatur, etſi iſte de me peſſimè meritus eſt, tamen & honoris eius gratia, cuius mihi literas reddidit, & conſanguinitatis eius, cuius tu internuntius ades, vincam animum meum. Suffragator ei futurus ſum. Iſte iamdiu ſe totum addixit Reipub. Venetæ. Per omnem Rhætiam nota & vulgata res eſt. Si noſter eſſe vult, non cuiuſquam alterius, ſed noſter ſit. Si dubitat, aut abnuit, ipſe noſtra ne capeſſat, non filius eius. Quanti dicas eſſe illum, cuius ne vnum qui-

dem mancipium totum eſt, ſed illud cum alio quopiam poſſidet? Rex dominus meus meretur miniſtros totos, non dimidiatos. Si iſte totus ad nos tranſire vult, totus tranſeat. Si mauult eſſe dimidiatus, apud illos remaneat, quibus animum dedit, ſine quo reliquus homo eſt nihili. Ne multa; mittat ambages, & ſcripto polliceatur, ſe nullius principis, aut Reipub. negotia curaturum, niſi vnius regis. Aliis abſtineat. Quoad potero, eius deſiderio ſatisfactum vt ſit, præſtabo. Vix hæc elocutus eram, cùm iſte, quem alloquebar, inſperatam facilitatem meam repentina admiratione celebrãs corripuit ſe extra cubiculum meum. Et ad illum exilio, inquit, cum hoc nuntio tam fauſto. Iſte, vt rem reſciuit, ferocior factus metui ſe credidit. Et mea benignitate ſublatus illico cœpit cogitare, quas mihi leges diceret. Reſpondit enim, ſe mihi ſcripturum epiſtolam hac ſententia, Si filius meus ad

munus regij interpretis admiſſus fuerit, certum habe, me illi in omnibus affore, & operam meam fore fidelem. In primis, daturum eſſe operam, vt ne quis de me queri poſſit; quòd cuiuſquam principis negotia curanda ſuſcipiam ea, ex quibus aliquid detrimenti rebus, & rationibus regis oriri poſſit. Quippe qui hunc meum filium regiæ maieſtati dicaui pignus fidelitatis, ac ſynceritatis meæ. Vſque eò ne tunc quidem cùm ſubmiſſiùs, & ſynceriùs agere debuit, ſpiritus illos violentos & contumaces ponere potuit. Per illum ipſum mittit mihi exemplum eius epiſtolæ; Quod vt vidi, dixi, Si iſte pudoris quod ſatis eſt, haberet, non ſe rei tantæ iudicem ferret; non, inquam, regem, non legatum regis hoc iudicio pelleret, totum eis permitteret, quorum eſt. Ne vltra tergiuerſetur. Diſertim regiæ maieſtati ſcripto polliceatur, ſe poſthac nullum vllius principis negotium ſuſcepturum; & nullam vllius

principis

principis negotium ſuſcepturum; & nullam vllius rei communionem ſibi fore cum vllo aut principe, aut Republica, ſiue ſit Rhætici fœderis, ſiue non ſit; ſed ſingulari animi affectione ſe totum deditum fore obſequiis regis Chriſtianiſſimi. Re ad eum relata, nihil ſe mutare ſententiæ dixit. Sui, inquam, non regis, aut regiorum legatorum arbitrij æſtimationem eſſe æquum cenſuit, an ea negotia, quæ ab aliis curanda ſuſciperet, regi detrimentum afferre poſſent, necne. Vſque eò homo impudens tunc quidem ſibi & exiſtimationi ſuę bellum indixit. Exin eo loco à me habitus eſt, quo meretur is, quem omnis ſpes dereliquerat, vt poſſet eſſe noſter. Sed de illo nimis multa. Nec enim tanti eſt, vt inter ſeria memorari debeat. Et quicquid huius feci, id ea re feci, vt ſciri poſſit, cum quibus ingeniis illic mihi conflictandum fuerit, & quę prodigia perpeti neceſſe habuerim. Hinc alia

multa de eodem propemodum genere coniici poſſunt, quæ ibi non ſanè ſtupor meus, ſed æquus animus, qui ad talia longa patientia obcalluerat, ſibi toleranda duxit. Paulò poſt rex vacantem interpretis locum, lectu & nominatione mea duobus expleuit, Ioanne Paulo è pago Beuers in Engadina ſuperiori, & Antonio Molina è Calanca Mezaucia.

Per id tempus Mediolanenſis ager militaribus copiis vbique redundabat, etſi iam Fuentanus vita conceſſerat. Quæ res non ſolùm Rhætos, ſed quantum eſt circumiectarum in Italiæ latere gẽtium diu anxias, & ſuſpenſas habuit, eò magis quò tãtus ille belli paratus pertineret, cõiectura nemo aſſequi poſſet. In Rhętia quidem qui nõ multo metu ſuſpẽſus eſſet, improuido ſimilis erat. Cùm diu hæ tantæ copiæ Mediolanenſem ditionem inſediſſent, ibique hyemaſſent, & quidem nullo effectu, denique intellectum eſt, tantos paratus

non aliò pertinuiſſe, quàm vt oſtentatione Hiſpaniæ potentiæ vniuerſa Italia contremiſceret. Qui magnis imperiis frequens mos eſt.

Tunc Rhæti in metum traxerunt factum Cardinalis Borromei Archiepiſcopi Mediolanenſis. Is enim, quamuis non metropolites, nam Curia ſub Moguntino eſt, ſpecie promouendæ apud Rhætos catholicæ religionis, quoſdam eccleſiaſtici ordinis immiſerat, quos iam appareret eſſe ſatores magni, & pertinacis diſſidij inter catholicos & proteſtantes. Quin & quemdam miniſtrum proteſtantem is Cardinalis ad ſe è Rhætia euocauit, iis literis ad eum miſſis, quibus nomen eſt ſaluus conductus, quibus & ipſe, & Mediolanenſis inquiſitor ſubſcripſerunt.

Patrato ex animi ſententia bello illo Iuliacenſi, & exercitibus dimiſſis, copiæ Helueticæ & Rhæticæ ad ſua redierunt, ſed pleriſque peſtilenti quodam morbo abſumptis.

Iam tunc per vniuerſam Rhætiam diſſeminatum erat, id Venetos agere, vt ſuum fœdus, quod decennale eſſet, continuaretur. Sed multo quoque fremitu Rhætica gens, quid animi ſuper ea re eſſet, prodebat. Iam omnes publica, & priuata detrimenta cuiuſmodi illud fœdus eſſet, & quę ex eo bona, quæ item mala expectanda eſſent, nimiùm edocuerant. Neque quiſquam eò videbatur inclinare, vt, cauſa tot malorum reuocata, ipſa quoque mala reducta multiplicarentur.

Per eoſdem dies capitulum Curienſe per aliquot canonicos mecum egit, vt epiſcopo, qui haberet animum redeundi, fautor eſſe vellem. Reſpondi, me lubente, & adnitente ipſum ſui voti compotem fore. Videat modò ipſe, vt inter ſe & communitates bene conueniat. Cętera ſperare me ei fore prona. Ad poſtremum, res ita tractata eſt, vt is Curiam redierit. In itinere acceſſit ad eum quidam infimæ plebis

homo, cuius ad eum hæc fuerunt verba, Iam tu ades, proditor, & alia indigna memoratu. Sanè & irreuerentia, & libido malè loquendi nequaquam minimæ ſunt inter eas ægritudines, quę libertatem effrænem inuadunt. His perturbatus epiſcopus inibi fuit, vt retro verteret iter. Verùm hortatu octo canonicorum, qui ei comites eſſent, continuato itinere Curiam perrexit, vbi non tam ſalutantium officiis frequentatus, quàm crebro metu perterrefactus diutiùs egit.

Cæterùm cùm Mediolani nullus etiam regius præfectus Fuentano ſucceſſiſſet, regis Hiſpaniæ conſilio ibi omnia moderante, inde miſſi ſunt milites trecenti in eam conuallem, quæ eſt Valtellinæ contermina, nomine Bitti. Quę res Rhætorum ſuſpiciones, & metus vehementer auxit. Idcirco in locis ei valli proximis valida Rhæticorum militum manus locata. Quinetiam cùm nonnullę militarium copiarum reli-

quiæ, ex iis quas Fuentanus Mediolanum accerſierat, aut ibi ſcribi iuſſerat, adhuc inibi perſtarent, toti vicinitati recentes terrores illati. Quiſque ſibi, quiſque ſuis metuebat, Rhæti præcipuè, qui omnem Larij lacus ripam, tum proxima arci Fuentanę loca multo milite ſtrepere videbant. Pręterea, nuntiabatur, ligonum, rutrorum, bipaliorum, raſtrorum, corbularum, & omnis ruſticæ ſupellectilis, eius, qua recluditur, & effoditur humus, magnam vim nuper, & quidem noctu arci inditam. Ea omnia quatuor nauibus onerariis vecta, & à Rhęticis ſpeculatoribus explorata, & viſa conſtitit. Tunc Triumuiri iterum ad me detulerunt, ad regem legationem decerni rogatum auxilia eius. Quibus, inquam, rebus interim incolumitati veſtrę proſpectum eſt? Cùm nihil, quod reſponderent, eſſet, Regis auxilia, dixi, ita accipi oportet, vt, ſi quis vos aperto bello adoriatur, tunc ea vobis inſtruã-

tũr. Hoc diſertim fœdus loquitur. At improuiſæ aggreſſionis longè alia ratio eſt. Ad hanc quiſque, natura duce, intentus, & paratus eſſe debet. Nam quiſquis ad ſe protegẽdum alios moratur, ſępe ante aduentum auxilij opprimitur; ſanè meritò. Quin dicitis ecquæ vobis ſit veſtræ propugnationis inſtituta ratio. Cùm hîc quoque hærerent, Et vos, inquam, regis auxilia imploratum mittitis, qui nulla re vobis proſpexiſtis? Vbicũque homines ſunt, ibi, opinor, natura prius eſt, vt ſuis quiſque vtatur, quàm aliena rogatum eat. Securitati veſtræ vbi caueritis iis opibus & rationibus, quæ in manu veſtra ſunt, & ea propugnationi veſtrę comperientur inualida, tunc regem auxiliatorem aduocate. Ad primas occaſiones fidem, & diligentiam vobis ipſi præſtate. Regis opem propulſandis grauioribus periculis ſeponite. Si vera, & ęqua ſuadeo, hinc vobis ipſi ſubiicite, quàm opportunè, &

verecundè iſtam legationem ad regem deſtinetis. His ad ſuos perlatis, & perpenſis, de ea legatione mittenda conſilium poſuiſſe videbantur, cùm eius legationis liguritores cæteris autores eſſe non dubitarunt, vt de eo negotio ſcriberetur communitatibus, quas legationem decreturas eſſe, credibile erat. Certè quibus artibus iſti eius legationis mentionem Curiæ excitaſſent, iiſdem ſe apud communitates perficere poſſe ſperarunt vt denique mitteretur. Qua re mihi nuntiata, Triumuiris ad me reuocatis ea dixi, quæ cùm illi diligentiùs perpendiſſent, perfecerunt, vt de ea re ne communitatibus quidem ſcriberetur. Ergo decretum fit, ne de eo negotio quicquam ſtatuatur, niſi id quod ego probaſſem. Miſſi ſunt ad me nonnulli, è quibus iſta cognoui. Iſti me Reipub. nomine rogarunt, vt eius cauſam regi de meliori nota commendarem. In his tot, tamque

frequentibus anguſtiis res illa Rhętica tunc quidem fuit, quòd quibus eſſet ſatis indolis &ingenij ad Rempub. capeſsēdam, horum vix quiſquā bonas, & ingenuas artes didicerat, quarum ope publicam rem prouidenter, proſpereque tueretur. Plerumque iis inuigilabant, quæ docent, quomodo in ſimpliciores tragula iniici poſſit. Hos enim immane dictu eſt, quàm citò amor pecuniæ, ſicut æſtus, abriperet. Igitur, ſiquid agendum ſuſciperent, id fiebat in præſentem quæſtum & mercedem. Vbi lucrum non appareret, ibidem fuit flebilis incuria, & publicæ rei derelictio. Hinc pericula, quæ quoties adeſſent, tūc verò detegebatur pudenda illa bonorum & ſapientium hominū penuria. Indidem publica egeſtas, & nulla petendi verecundia. Nam ſi quoties, & quantū petunt, ſuggerere pergas, imponis tibi onus intolerabile, & perpetuum. Sibi enim facilè perſuadēt, ſe potentiſſimi fœderati magnitudi-

ne protegi, bona, fateor, & laudabili fiducia, ſi non hæc progigneret illam deformem ſegnitiem, & neglectum Reipub. vt alienæ, ac proinde ſub aliena tutela, potiùs quàm ſua, quotieſcunque res ſumptum deſiderat. In aliis enim neminis conſilium morantur. Suo arbitratu rem gerunt.

MDCXI Per eoſdem dies præfectus Comi mandatu Mediolanenſis conſilij per literas humaniter ſcriptas orauit Rhętos vt quinque Madrucianæ legionis cohortibus ab exercitu Mediolanenſi in patriam redeuntibus per ſua tranſire permitterent. Ea res à Triumuiris ad Communitates reiecta; à quibus cùm hæ cohortes nihil reſponſi acciperent, per Tridentinas Alpes dilapſæ ad ſua redierũt. Ex his milites trecenti ſe Rhęticorum montium callibus committere auſi, nullo impediente tranſierunt. Ea res, & quòd pauci, & quòd mendicis quàm militibus ſimiliores eſſent, in leui habita. A tribus Heluetiorum

cohortibus non petentibus vti tranſirent, permiſſum. Iſti ergo cùm per pagum Cicereium iter facerent, non ſanè quieti, ac taciti, ſed tympana pulſare auderent, & eorum plerique in oſtentationem compoſiti pennas rubras in galeris geſtarent albis diſtinctas, & quidem ad læuam, quod eſt ſignum priſcæ factionis Gibellinæ, eos Cicereij iurgiis adorti pennas galeris detractas, & bacilla, quibus tympana tunderentur, fracta proiecerunt, addita grauiori verborum obiurgatione ad hũc modum, Etiam audetis nuncupare vos Heluetios, qui Hiſpano militatum iſtis? ô quàm diſſimiles maiorum veſtrorum, qui in Gallicis partibus fortiſſimè militarunt!

Tunc quoque pars quædam illius Mediolanenſis exercitus, cui miſſio data, in Sabaudiam abſceſſerat, ibiq; perſtabat. Ipſe Sabaudus, qui iamdiu multis peditum & equitum copiis firmatus ageret, pactionibus ſuas contro-

uerſias cum Hiſpano diremiſſe dicebatur. Ea res Bernenſes aduertit, eoſq; ſua pericula circumſpicere coëgit. Igitur mittunt ad Rhætos amicos, & fœderatos auxilia rogatũ. Id quod Rhæti neutiquam aſpernati, paulò poſt, lectu ſibi ſueto, ſcripſerunt militem, qui ad omnes occaſiones præſto eſſet. Ex hoc delectu Bernenſibus mille ducentos ſe in expedito habituros pollicentur. Quanti hanc tam promptam Rhætorum erga ſuos fœderatos animi propenſionem faceres, publicam eorum paupertatem pari commiſeratione dignam diceres. Quippe nihil fuit vnde huic auxilio ſtipendium ſuppeditari poſſet. Idcirco mittuntur qui à me eliciant, an huic militi pecuniam in ſtipendium à nobis dari poſſet. Negaui me de ea re habere quicquam in mandatis. Saltem, inquiunt, aliquot annorum penſiones generales nobis dentur in anteceſſum. Pariter id, quod res poſceret, reſpondi. Poſtremò in-

tellexerunt, à communitatibus veniendum eſſe ad collationes, ſi ſuis fœderatis auxiliatores eſſe vellent.

Per idem tempus venit ad me Ioannes Georgius miniſtralis, ſiue magiſtratus, & iudex vallis Rheni. Is mihi ea, quæ infra pono, narrauit. Redibat Mediolano, quò, miſſu ſuæ communitatis, profectus eſſet, vt cum Triuulciis ageret de venditione quorumdam vectigalium, quæ illi poſſident intra fines vallis Rheni. Vt fuit Mediolani, à quodam eccleſiaſtici ordinis homine, qui Mezaucij diu commoratus eſſet, adgnitus fuit. Is eccleſiaſticus Alfonſo Caſali perfamiliaris, eius, vt credibile eſt, iuſſu ſe Georgio Comitem addiderat, vt ei per vicos magnæ, & numeroſæ vrbis ductor eſſet. Iſte, velut aliud agens, duxit Georgium ad ædes ducales, in quibus habitat præfectus Mediolani, & quidem ea ipſa hora, qua præfectus, qui tunc fuit Ioannes Velaſchius Comeſtabulus Caſtiliæ,

è ſacro miſſæ domum redibat. Is præfectus, vt aſpexit hunc eccleſiaſticum, qui ipſi eſſet probè notus, vnà cum Georgio, qui eſſet indutu Germanico, id quod erat, ratus, hunc eſſe illũ Rhætum, quem ei Caſalis dixiſſet, homine ad ſe accerſito, eum his verbis affatus eſt, Quid ita Rhæti Germanis militibus per ſua tranſitum denegarunt? Ibi Georgius, De hoc tranſitu, inquit, actum eſt cum officialibus Reipub. iis, qui ſunt cis Alpes; penes quos tantæ rei concedendę ius nullum eſt. Ideo res ad communitates reiecta. Nihilo tamen minùs plerique milites illac tranſierunt. Hoc reſponſo Comeſtabulo ſatisfeciſſe eſt viſus, qui ſubiecit, Ego quidem Rhætis ſemper bonus vicinus fui. Et adhuc in eorum amicitia perſto. Id vt re cognoſcant, quandocunque opus fuerit, præſtabo. His vtrinque dictis, Caſalis acceſſit ad Georgiũ, &, Video, inquit, præfectũ erga Rhætos ita eſſe animatum, vt, me ſpes te-

neat, ſi per ipſos non ſteterit, aliquam vtilem tractationem inſtitui, & hoc pacto denique arcem dirui poſſe. Huic rei puto in Rhætia interceſſurum neminem, niſi fortè legatum regis Galliæ, & miniſtros proteſtantes. Rhęti, inquit Georgius, ita ſemper animati fuerunt, vt, exemplo maiorum ſuorum iura viciniæ cum Mediolanenſi ducatu inuiolata cupienter cuſtodierint. Ibi Caſalis cœpit plura loqui, quæ eò pertinerent, vt Georgius præfecti mandata ad ſuos perferenda acciperet. Non ſum, inquit Georgius, publicè miſſus, ſed ad alia Mediolanum veni. At hæc, ait Caſalis, eſſet alicuius boni origo, ſi quæ hac de re tractatio inſtitui poſſet. Obſecro te, ne rem negligas. Cùm enim breui tibi huc, vt audio, redeundum ſit, optimum factu fuerit, ſi de hoc agas cum veſtris primoribus, iis, qui huic negotio tractando tibi idonei viſi fuerint. Sanè cùm redieris, non dubito quin res confici, ac alicuius ope

tractationis ad ingens aliquod bonum- perueniri poſſit, quo ſanè Rhæti æter, nùm gaudeant. His vtrinque dictis Georgius ei vale dixit. Et in patriam cùm rediiſſet, Curiam continuò profectus venit ad me, mihique hæc ſingulatim narrauit, meoque permiſſu vocatis, & adhibitis Ioanne Lucio Guglebechio, & Alberto Salicæo, qui tunc eſſent Curiæ. Cùm omnes attentius ea audiſſemus, ipſe quidem Rhæticæ Reipub. de eò vehementer gratulatus ſum, quod non ſine ſingulari Dei permiſſu hoc negotium veniſſet in manus eius, cui omne arcanum credi tutò poteſt, non alicuius præpoſteri, & blateronis, qui ſua ſiniſteritate, & loquacitate rem omnem improuidè ad parum ſanos detuliſſet, ac nouis factionibus cauſam dediſſet. Tunc Georgius, quod Mediolani ipſe & Caſalis capita contuliſſent, id verò ab ſe vitari non potuiſſe dixit. Verùm in poſterum ſe nunquam commiſſurũ, vt ſine meo

permiſſu Mediolanum redeat, & quicquam quod ad eam rem pertineat, exequi pergat. Homine collaudato, res mihi & aliis digna eſt viſa, ad quam intimè pernoſcendam, & perficiendam is iter Mediolanum relegeret. Sanè credibile fuit, Caſtiliæ Comeſtabulo, qui in Mediolanenſi præfectura Fuentano ſucceſſiſſet, neutiquam omnia ſui deceſſoris acta probari. Illud quoque conſtabat, Fuentanum arcem Montecchij non tam Mediolanenſi ducatui neceſſariã conſtruxiſſe, quàm ſibi ipſi quoddam veluti trophæum, & nomini ſuo monumentum. Adde quod, in ea arce non pauca aduertebantur perperam ædificata, & aduerſus præſcripta eorum, qui talium periti ſunt, admiſſa. Ne quid de eius poſitione dicam. Nimirum, eam arcem tanta cœli, ſolique grauitas premit, vt milites valetudine quotannis tentētur; vnde eorum multæ mortes. Cui malo nullum remedium ſit, ſi non exſic-

catur palus ambitu ſuo collem amplectens, cuius halitu aër inficitur. At in hoc opus ſumptum immenſum fieri neceſſe eſt. Nam in ſtagnantis aquę locum Aduæ fluenta deduci oportet, quę perpetuo lapſu loco ſalubritatem afferant. At, ne id quidem fieri poſſe, ſi non altiùs terra foditur, nempe in ditione Rhætorum. Illud quoque conſtat, eâdem arce ingentem modum ſupellectilis militaris detineri; eamque vim munitionum, quæ aliis locis impendi debent. Denique in confeſſo fuit, longè à ſcopo Fuentanum aberraſſe, qui exiſtimauerit, eius arcis oppoſitu tranſalpinas gentes cohiberi poſſe quominus ineant agrum Mediolanenſem. Eum tamen ſuas res in Hiſpania hinc plurimùm magnificaſſe. Has ob cauſas, quæ aut veræ, aut veris tam ſimiles eſſent, vt pro veris accipi poſſent, credibile fuit, ea quæ Caſalis diceret, non diſſimulanter, & captiosè, ſed verè,

& ingenuè dici. Quid, ſi per hanc tractationem denique ratio inueniretur huius tam inuiſæ molis ex hominum oculis ſubducendæ? ô quantum, & quàm inſperatum beneficium non tantùm in Rhætos, ſed & in Heluetios, omneſque gentes fœderatas, quæ eam molem non ſine multo animi æſtu aſpiciunt! His rebus adductus, quæ mihi magnæ, magnique ponderis eſſe viſę, Georgium rem adoriri facilè ſum paſſus, & eò remeare, nempe, vt hoc eius præclaro miniſterio Rhætia, Deo dante, ea arcis tyrannide liberari poſſet. Praeterea, etſi is eſt homo conſideratus, non tamen dubitaui meos monitus eius conſiliis conſociare, & coniunctim cum ipſo qua ratione hominum callidiſſimorum artes eluderet, & vitaret, prȩuidere. In primis eum diligenter monui, ne ſe hinc de duci per vllas ambages pateretur, Nemini ſperandum eſſe, vllum fœdus cum Rhætis fieri, aut vllam Gallici fœderis par-

tem nouitatibus præſtringi poſſe. Semper adhærendum dixi pactis anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi. Hinc recedi poſſe cōſtanter neget. Is demum hæc conſilia animo geſtans rediit Mediolanum per illam eius negotij ſpeciem, quę vt antea fuerat, tunc quoque vera eſſet. Vt eò venit, vix ſeſquihorę ſpatio fuerat in diuerſorio, cùm ecce Caſalis ipſe adeſt, qui tunc quidem nullum alium cum ipſo ſermonem inſtituit, extra gratulationem fauſti reditus, eaſque, quæ vſurpari ſolent beneuolentiæ ſignificationes dico, an ſimulationes? Cęteris diem poſterum conſtituunt. Eo die vterque ex condicto conueniunt. Sed Caſalis, antequam ſermo in longum traheretur, Georgio ſcriptum exhibuit, quo ea cōtinerētur, quæ Pręfectus Mediolani ſibi ab Rhętica Repub. promitti poſceret. Hęc ſibi pręſtita ſi fuerint, arcem deſtructum iri ſpem eſſe dixit. Hæc ad hoc exemplum ſcripta erant,

Rhæti cuilibet mortali tranſitum denegent hoſtiliter proficiſcenti Mediolanum. Hiſpaniæ regi tranſitus pateat, quotieſcunq; exercitus ſuos Alpes traducere iuſſerit. Is tranſitus ne cuiquam alij, niſi permiſſu præfecti Mediolanenſis, conçedatur. Eiuſdem regis delectus pati Rhętica gens teneatur. His lectis, Georgius renidens acturum Caſali ſcriptum reddidit, dixitque, Hi ſunt illi articuli toties à noſtris reiecti. Ego verò non ita inſanio, vt hęc in patriam deferenda ſuſcipiam. Deferenda dico? Abſit vt eorum leuiſſimam mentionem faciam; niſi fortè mihi mea vita, & exiſtimatio vilis eſt. Sit ita ſanè, inquit Caſalis, non idcirco deſinemus exquirere omnes rationes alicuius inſtituendæ tractationis, vt aliquid boni confieri poſſit. Et fiet, dummodo quantum pręfectus, tantumdem ſtudij vos ad hoc negotium conferatis. Sed vos quid ab ipſo deſideratis? Etſi pſe, inquit Georgius, nulla publica

autoritate nixus loquor, nihilominus tamen, vt vnus Rhætorum pro exigua illa, quę mihi eſt, gentis noſtræ notitia, audeo firmare, nihil vnquam nos à pręfecto Mediolani deſideraturos, niſi vt ſeruentur pacta anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi; Atque vt mutuis officiis, & beneuolentiæ argumentis inter vtramque gentem certetur Rhęticam & Mediolanenſem. Vicini ſint vicinis beneuolentes. Credideram, ait Caſalis, vos petituros aliquas penſiones generales annuas. Minimè gentium, inquit Georgius. Nullas nos penſiones accipimus, niſi à fœderatis noſtris. Et initio diſertim dixi, faciendi nobiſcum fœderis fruſtra mentionem fieri. At, inquit Caſalis, Pręfectus vos hac arce ſubleuari vehementer cupit. Id quod æquum eſt, facit, inquit Georgius, cùm iniuria extructa fuerit, & contra leges anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi. Si fecerit, enimuero fidem fecerit

ſe Rhætiæ bonum, ac deſiderabilem vicinum eſſe. Nos quoque mutuum facturi ſumus. Ibi Caſalis morbum præfecti quominus huic negotio manus maturiùs admotę fuerint, cauſatus eſt. Et ipſe hanc telam iam nobis exorſam eſſe, inquit, non mediocriter lętor. E tali exordio ſpero emerſurum aliquid boni. Præfectus me hodie conticinio ad ſe venire vult, vt vterque coniunctim videamus qua ratione ſcribendum ſit regi ad hoc, vt hęc res confici poſſit. Me ſcriptore vti vult. Ea epiſtola cras mane ſcripta erit, ciuſque inſpiciendę tibi à me copia fiet. Vt dictum, die ſequenti eam epiſtolam Caſalis Georgio legendam dedit. Scripta fuit iis verbis, quorum ſententia hęc eſſet, Neceſſitate arcem Fuentani deſtrui oportere. Eâdem Comeſtabulus petit, in ſe conferri liberam, & omnimodam poteſtatem de ea re ſtatuendi id omne, quod in rem regię maieſtatis eſſe cenſuerit, nulla exce-

ptione. Et quò celeriùs, inquit Caſalis, hę literę perferantur, prężfectus eas miſſurus eſt per hominem certum, & expeditum, qui hîc ad diem vndecimam Iunij futurus eſt. Accepto reſponſo, eæ regiæ literæ ad te mittentur, vt videas quo loco res ſit. Tunc quoque rogabere vt huc venias. Nam præfectus, accepta ea, quam petit, poteſtate, ex omnium ſententia rem conficì poſſe non deſperat. Hæc mihi, ac duobus iis, quos nominaui, Georgius poſtremùm retulit. Tunc omnium conſenſu, qui eſſemus quatuor, decretum eſt, ne vltra Mediolani præfectus audiretur, ſi non aliud loqueretur, quàm ea quæ Caſalis eo ſcripto comprehenſa prompſiſſet. Tunc & Georgius, & illi qui aderant, de me ſciſcitati ſunt, Annon putem fore vt rex Rhæticę gentis miſertus, quæ in has miſerias præcipitata fuerit, ad hoc vt illa arx dirui poſſit, nonnihil de ſuo iure conceſſurus ſit. Annon fieri poſſit,

vt eius permiſſu aliquid & ipſi Rhæti Mediolanenſi præfecto relaxent. Permittet, inquam, rex id quod honeſtè poteſt, dummodo ſui fœderis potiſſimam rationem haberi appareat. Ibi ipſi, Reſpublica Rhętica nihil quicquam petitura eſt, quo Gallico fœderi derogetur. Inuiolatum apud nos, & intactum manebit. Verùm ſi præfecto Mediolanenſi arcis demolitio tantæ, quantam dicit, curæ eſt, credibile quoque eſt, eum omnes artes exquiſiturum, quibus id confici è ſui regis dignitate poſſit. Idcirco is ſe petitioni alicuius rei fortaſſis affiget, qua dempta, ſui regis exiſtimationi non ſatis conſultum putabit. Hinc, videlicet, in Hiſpania fidem ſe facturum putat, plus vtilitatis regem ex arcis demolitione, quàm ex eius conſtructione eſſe capturum. Id ſi acciderit, qua ratione regem nobiſcum acturum putas? Rex inquam, tali re, quid fieri velit, palàm faciet. Nec enim me, neque quem-

quam de ea re poſſe quicquam ſtatue-re, quæ tota eſt arbitrij eius. Cæterùm nihil vltra nunc quidem, quod huc pertinet, agi poteſt, donec Georgius acceperit eas Hiſpanicas literas, quas Caſalis ei ſe miſſurum dixit. Has ſtatim vt accepero, inquit Georgius, protinus huc afferam. Simul hos, Guglebechiũ, & Albertum demonſtrans, eius rei certiores faciam, vt hîc adeſſe, & quid facto opus ſit, communi conſilio diſpici poſſit. Hic fuit eius colloquij terminus. Verùm cum illę literæ diu expectatæ nuſquã cõparerent, hac mora intellectum eſt, eam non eſſe expectationem, ſed fruſtrationem. Cuilibet, qui modò non ſit caudex, inde non ſolùm ſuſpicari, ſed & ſcire datum, quicquid pręfectus Mediolani, eiuſque verbis Caſalis dixiſſet, fuiſſe artes, quæ eò ſpectabant, vt illi articuli Mediolanenſes toties exploſi reuireſcerent, & ad hos confirmandos Rhæti adducerentur. Denique ab iſtis id

quoque tunc actum apparuit, vt, Gallico fœdere exturbato, in eius locum ſubſtitueretur Hiſpanicum. Sed qua ratione tunc actum cum Georgio eſt, ea fuit plena contemptus, & ſuperbiæ prorſus intolerabilis. Cùm enim ipſi colloquium petiiſſent, & arcis diruendæ ſtudium profiterentur, ſiquid modò Rhæti æqui dicerent, ad poſtremum, oſtenderunt ſe id vnum egiſſe, vt Rhętis vterentur adminiſtris ad ſua deſtinata, in ipſorum perniciem patrãda. Nec ideo, id quod aduertendum, arcem demolitum iri polliciti ſunt, ſed manifeſto ludibrio dixerunt, ſe omni ope eniſuros, vt rex ad id iubendum flectatur. Ac, ne de irriſu dubitari poſſit, conſtitutum, de quo cum Georgio conuenerant, mutarunt, ac pacta turbarunt. Ne multa, apparuit, eos non eſſe perfugas ingenij ſui, neque deſertores artium ſuarum. Dictis ſi credi oportet, percupiunt venire ad compoſitionem cum iis, quos interim ho-

ſtium loco habent. Nam quid aliud eſt, omni commercio, omnique commeatu Rhętos prohibere? Quinque pagos Rhętis infeſtos in eam Rhætiæ partem inſtigare, quæ ipſis eſt proxima? Id agere vt Mezaucios è Rhætica Repub. diſcerptos illis adiungant, aut eos cogant concedere in ius, & poteſtatem Hiſpanicam? Georgius hac omni fallacia per literas ad Caſalem datas ſingillatim exprobrata, ſecum tam ſubdolè actum eſſe, & cùm vltro ad ſe ventum eſſet, nullam tamen conſtituto fidem fuiſſe, diſertim, & grauiter queſtus, dixit; ſibi quidem adſcribi non poſſe, ſi dein hæc tractatio non vltra producitur. Breuiter, ſi præfecto Mediolanenſi decretum eſt ſtare conuentis anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi, negotium ſuſcipi, & aliquo bono exitu, annuente Deo, terminari poſſe. Aliter ſi fiat, pax, de ea re ne verbum quidem vnum poſthac. Per eos dies Dauid Madruccius ab

Hiſpaniæ rege, & à præfecto Mediolanenſi in mandatis habere dictus eſt, vt ſeriò diſpiceret, qua ratione gens Rhætica in ſtabilem, & ęternam ſocietatem ſemel aſſumpta ab ea dimoueri non poſſet. Quemdam Mezaucium, hominem primęuum talium miniſtri blanditiis, & promiſſis Mediolanum iteratò adductum in Hiſpanicas partes traxerant. Vt rem reſciui, non eum magiſtratui, ſed conſanguineis eius indicaui; à quibus grauiter increpitus rediit in viam.

Exactis aliquot diebus, Tauoſij habitum Ponſdagum, quod eſt annuum vniuerſæ gentis concilium. Illò cùm veniſſem, eum conſeſſum accuratè monui, etiam atque etiam videndum, ne cunctis parta ſecuritas incuria labefactetur. Nunc plus quàm vnquam fuerit, vigilato opus eſſe. Rurſus, inquam, emergunt inimici, & inſidiatores veſtræ libertatis, & quietis, & quidem iis artibus inſtructi, quibus

hanc Rempub. euertere conati ſunt. Reticui de cauſis, quibus adductus hęc ſic loquerer. Nec enim expediebat illam multitudinem variè affectam omnia ſcire. Metus tantùm aliud agentibus iniiciendus fuit.

Improbo autore quædam ſcriptio Germanico ſermone tunc edita & vulgata fuit in nos contumelioſa, & impudentiſſimæ calumniæ plena, inſcripta epiſcopo Curienſi ſpecie epiſtolæ, his ferme verbis, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime princeps, Nuper ad ea reſpondere non potui, quę de me ſciſcitatus es, Quî fiat, vt miniſtri tam ſint erga regem Galliæ, eiuſque legatum propenſi. Nunc facio. Nam ex eo die penetraui in ædes legati; eaſque tabulas, quibus eorum nomina continentur, in quos annua regis beneficia diſtribuuntur, inſpiciundi mihi copia fuit. Reperi, miniſtris, & hoc loco nominat quoſdam miniſtros, ſingulis annis dari dona opulenta, quorum

ſumma colligit aliquot millia aureorum coronatorum. Hac ratione animos cupidos Gallo conciliari minimè mirum. Breui plura, & exploratiora cognoſcam, eaque ad tę deferam. Is ſycophanta, quiſquis fuit, hoc vnum doctè, & conſultè fecit, quod ſuo teterrimo nomine illam chartam non fœdauit. Sed multæ & vanitatis, & ſtoliditatis manifeſtus fuit, quòd neſciuit, Nequaquam his artibus opus eſſe regi, vt quęrat amores gentis ſibi antiquo fœdere iunctæ, qui bonas tantùm exercet, tantoque rege dignas.

Ab eodem Tauoſienſi conſeſſu literę ad Venetum principem datæ, quibus Rhætica Reſpub. ab eo vehementer petiit, vt penſiones particulares in Rhætiam mittantur. Quippe quibus darentur, qui fuerunt complures ex iis, qui noſtras accipiebant, ij iam toto quinquennio ſibi nihil datum palàm querebantur. Hi gratia, & autoritate tantum potuerunt, vt tunc Reſpub.

quod nunquam antea factum, negotium tot priuatorum ſibi apud fœderatos ſuſcipiendum duxerit. Vtrique tamen operam luſerunt, Ponſdagum pro his rogando, illi perficiendo, vt ſibi Reſpub. hanc operam daret. Nihil eius à Veneto ſenatu impetratum; ac ne vllum quidem huic petitioni reſponſum.

Illud ipſum Tauoſianum concilium decreuit id, quod cuiuſmodi fuerit, è mea ſententia infra poſita cognoſci poterit. Ipſe, ſcilicet, ab illo ordine per literas mihi inſcriptas, & alias, quas vocant patentes, rogatus fui, vt exprimere vellem, quinam eſſet ſenſus meus de quadam ſententia, quæ eo ipſo anno, indictione noua die lunę, decima octaua Martij, inſtante fiſci procuratore, & accuſatore Claudio Venoſta patre Ioſephi cæſi, & interempti lata fuerat à Prętore Tirani ſedente pro tribunali aduerſus legum doctorem M. Antonium Venoſtam Io. Sebaſtiani filium

filium eius cædis inſimulatum. An eam æquum putem manere firmam, & ratam. An verò, & qua in parte retractari eam, & infirmari oporteat. Ita ſanè, vt quicquid ſuper ea re ſtatuerim, id apud vtramque partem quæ in meam perſonam conſenſiſſet, parem vim habeat, ac ſi ipſe ampliſſimus ordo ſtatuiſſet.

Ergo ipſe, ne quid ſenatus Rhæticus à me, quod meæ opis eſſet, fruſtra petiiſſet, hoc iudicio ſuſcepto, ac præfatus nomen & munus meum, pronuntiaui ad hunc modum, Vt ſenatus deſiderio, quantum in me eſt, morem geram, hanc cauſam, & iudicationem mihi creditam inde inchoaui, vt omnibus eius litis actis apud me depoſitis vtraque pars ſubſcriberet, quò & mihi, & ipſis liqueret, hęc eſſe illa acta, à quorum diligenti & accurata inſpectione rei totius iudicatio manat. Ergo, nulla actorum parte prętermiſſa, ſed ſingulis attẽtiùs enucleatis, & per-

penſis, In primis adorato, & inuocato ſacroſancto ſanctiſſimæ Trinitatis nomine, vt ſuo cœleſti lumine illuceat menti meæ, ſic cenſeo, Inſertam memoratę ſententiæ cauſam, ſeu rationem, quæ eſt eiuſmodi, Cædem, qua memoratus M. Antonius Venoſta memoratum Ioſephum Venoſtam occidit, fuiſſe facinus conſultò, de induſtria, doloſè, & inſidioſè cogitatum, ſiue, vt vtar verbis eiuſdem ſententiæ, homicidium deliberatum, nullis ſatis apertis indiciis, nulliſque validis nec præſumptionibus, nec probationibus niti, atque adeò ipſi veritati aduerſari, planeque contrariam eſſe; ac pro eo, ac ſi ea ſententia non lata eſſet, habendã. Vt enim voluntarium maleficium nemini impune eſſe debet, ita qui meditatæ cædis non conuincitur, ſed repentino quodam impetu, & ſubita animi commotione occiſionem feciſſe probatur, hunc & infamia, & pœna cogitato ſceleri debita liberari

æquum eſt. Itaque prætori Tirani manet integra facultas memoratum M. Antonium, ſicuti fortuitæ, nec præcogitatæ cædis reum, iis pœnis afficiendi, quæ in tales legibus conſtitutę ſunt. Huic iudicationi meæ hoc ſcripto comprehenſæ, quò ſit exploratior, propria manu ſubſcripſi; eique ſigillum meum imprimi, eamque ab altero è regiis interpretibus propria quoque manu ſubnotari iuſſi. Dat. Samadeni die viceſima Auguſti, Anno milleſimo, ſexcenteſimo vndecimo.

Eodem tempore inter tres pagos & Mezaucios iræ recruduerunt. Neque illud iurgium multo ſæpe tempore per irritas altercationes abſumpto, finiri poſſe ſpes vlla erat. Illos acuere dicebatur Mediolani præfectus aduerſus hos, quibus de iure ſuo nihil concedere decretum eſſet.

Cùm eo anno plurima Heluetiæ loca peſtilentia laceraret, ea vis morbi in

Rhętiam penetrauit. Ea re ipſe in pagum, cui nomen Aluonouo, ſeceſſi; ibique vſque ad proximum ver commorari coactus fui.

Et iam in exitu propemodum annus erat, cùm Triumuiri Curiam conuenerunt. Inde ſcripſerunt Communitatibus, inſtare illud decennium, quo Venetum fœdus terminatur. Cuius rei ſi nulla à neutris fœderatis mentio fiat, fœdus cenſeri continuatum, & productum vſque ad alterum decennium. Ad ſuam fidem pertinere, de ea re maturè communitates commonefacere, ne quid incuria committatur, quod poſthac vniuerſi minùs, aliterue factum velint. Accedere impedimentum peſtilentiæ, quæ ſeſe latiùs diffundat. Certè ſi circumiecta populari pergat, nec hyeme extrema extinguatur, vix fieri poſſe vt anno proximo bona pars communitatum ſuos conuentus habeat. Eſſe tamen rem tanti, vt de ea deliberari ad Rempub. maximè perti-

neat. Veſtrum nunc eſt, inquiunt, conſulere an produci fœdus, an finiri placeat; veſtrumque decretum nobis mittere intra diem decimam quintam Ianuarij, vt, ſuffragiis numeratis, id quod maiori parti complacitum fuerit, præualeat.

Principio anni milleſimi ſexcẽteſimi duodecimi auditum eſt religionem protestantem in pagum Vnderuacium induci, quò quidam miniſter diebus feſtis itare diceretur, & ibi clandeſtinas conciones habere. Denique is miniſter à mota plebecula (pueri fuerunt, & pueris intermiſtæ aliquot mulierculæ) neſcio quibus ludibriis conflictatus eſt. Hinc inter vicanos rixa, his illam clanculariam noui ritus introductionem excuſantibus, aliis deteſtantibus. Quæ res eum Rhætiæ angulum diduxit in ſtudia & partes. Catholici proximos proteſtantes, vt huius tantæ nouitatis autores, inſimulare. Hi iura libertatis facto prętendere. Quiſque MDCXII

pro ſuis cauſam dicere. Iam atroces in iis locis rumores inualuerant; quibus extinguendis lecti ſunt huius tam ſpinoſæ controuerſiæ iudices. Hi proteſtantibus quàm catholicis proniores habiti. Qualeſcunque eſſent, catholicos ad ea exequenda, quæ ab ſe iudicata eſſent, cogendos dicebant. At communitates catholicæ palàm profiteri, ſe & propriis, & amicorum viribus opem catholicis laturas. Aduerſus ea iudices, & qui ipſis fautores eſſent, rem iudicatam armis tueri parant. Nec mora. Iam Curię, iam alibi properè ſcribitur miles. Totus delectus conſtitit ex octingentis, quibus Ioannes Lucius Guglebechius ductor datus. Qua re cognita, ad Thomam Schauueſtinum, qui Curię eſſet, literas dedi, quas is in ſenatu Curienſi recitauit. Iis literis hominem vehementer hortabar, perficeret vti Curienſes quieſcerent; eaque modeſtia agerent, vt circumiecta quoque vicinitas ip-

ſorum exemplo turbis abſtineret, & otia ſua tueri, quàm perturbare mallet. Mihi bene monenti mos vſque eò geſtus eſt, vt continuò ſenatus Curienſis egerit cum epiſcopo, vt ſuæ autoritatis apud Vnderuacenſes interpoſitu præſtaret, vt ibi turbæ conticeſcerent. In eamdem rem Guglebechius, meo monitu, ſtrenuè incubuit. Hoc pacto res ad aliquod tempus tranquillata, & ad proximum pittagum reiecta. Pittagum ingreſſus illum conſeſſum diligenter monui, ne ſtudiis res ageretur. Huius periculoſiſſimi incendij primordia conteri oportere dixi, ne in vniuerſorum perniciem adoleſcerent. Hoc meo conſilio collaudato, ſeni vtriuſque religionis iudices lecti, in quos huius controuerſiæ dirimendæ omnis collata poteſtas eſt. His ſui muneris exordium fuit decretum ne armis certetur. Re denique ſæpius iactata, ventum eſt ad pactiones, quibus or-

deni perſcriptis, ipſe, rogatu vtriuſque partis, vnà cùm iis qui de re tota iudicaſſent, ſubſcriptor & firmator fui.

Menſe Februario nuntij communitatum frequentes Curiam coierunt. Lectis in pittago, numeratiſque ſuffragiis, compertum eſt, communitates cenſere, ne Venerum fœdus vltra decennij tempus producatur. Igitur literæ ad Venetum principem datæ, quibus Rhætica Reſpub. Venetam eius rei certiorem facit; ac profitetur, Etſi fœdus finitur, tamen amicitiam, & omnia iura viciniæ fore perpetua, vt inter maiores vtrinque fuerint, & vti inter bonos fieri par eſt. Id cupere Veneto ſenatui perſuaſum eſſe, à quo mutuum ſperent. His literis Venetias perlatis, & in collegio lectis, continuò decernitur, vt eius ordinis terni eo ipſo die eorum latorem conueniant. Ab eo expiſcentur, quis in

Rhætia huius decreti autor fuerit. Ergo is Rhæticus tabellarius ſolertibus trium ſenatorum interrogationibus diu fatigatus ſemper, conſtanterque reſpondit non id quod iſti cuperent, ſed id quod eſſet. Nec enim aliud poterat. Se, vt vnum è Rhætis, ſcire id quod viderit, Gentem Rhęticam, quæ ſit ſuæ poteſtatis, & arbitrij, ſuper eo negotio id quod ſibi in rem viſum fuerit, ſtatuiſſe. In conuentu quidem ſuæ communitatis rem ſic actam, ſe, qui adfuerit, teſtem eſſe. At illi è ſuis cauillationibus, è ſanna rugoſa, è geſtu intelligere hunc voluerunt, neminem ipſorum ei credeſe. Et quò is conſtantiùs id quod iſti ſibi dici vellent, pernegaret, eo ipſi inſtantius eum premere voce, vultu, crebris interrogationibus inſtiterunt; non vt verum elicerent, ſed vt quale ſibi dici vellent reſponſum extorquerent. Omnes ergo ad eum machinas, excepto terrore ac vi, admouerunt, nimi-

rum vt fateretur, illud gentis decretum eſſe ortum à legato regis eo, qui ſit in Rhætia. Vſque eò & Venetis, & ijs omnibus, qui Veneto fœderi fautores eſſent, permirum acciderat, gentem tam diſcordem in eum tantum conſenſum potuiſſe coaleſcere, & id decretum edidiſſe, quantò inopinum, & minùs expectatum, eò plus ſolicitudinis ijs, ad quos ea res pertineret, allaturum. Nec ijs, quos hæc nouitas perculerat, in mentem veniebat, illud motarum cõmunitatum de fœdere Veneto decretum anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi, ex quo qua mẽte plures eſſent perſpici potuit. Præterea, nec illud reputabant, Intra continuum nouem annorum circuitum Rhæticæ genti nullis fallacijs circumductæ licitum fuiſſe placidè, & è ſola rerum fide cum bonis comparare mala, quæ ex eo fœdere extiterunt, & videre vtra prægrauent. Hæc fuit vera, & vnica ratio exquirendi cau-

ſam eius tanti cunctæ gentis conſenſus; quam ſi iſti à ſtirpe, & altiùs ſcrutari voluiſſent, & tūc rem, vt erat, cognouiſſent, & hodie aliud ſentirent, & loquerentur. Vitio gentis humanæ fit, vt cuius rei, ſi implacida & ingrata accidit, ſibi quiſque conſcius eſt, eius inquiſitionem paulò accuratiorem reformidet. Imam rei ſtirpem communi ignoratione obrui præoptet, quàm quæ ſit, penitus, & ad liquidum ſciri. Ergo poſthabita conſcientia, de induſtria veritas obſcuratur, ſæpe culpa, quamlibet grauis, leuatur, ſæpe probrum immerenti aſſignatur; veri cupidis falſa obtruduntur. His animus non ſolùm imbutus, ſed ſuperfluens quantum loci veritati relinquit? Hinc mendaces affirmationes, eædemque pertinaces; hinc portentoſa iudicia. Hic eſt infelix ille, ac frequens rei non exploratæ, tamen iudicatæ prouentus. Nam cognitione, quæ iudicationi facem præferre debet, ar-

tificioſè, aut per negligentiam tramiſſa, qui iudicare deberet, hunc præuaricari, ſæpe etiam ſycophantari non eſt mirum. His malis is vnus obuiam it, qui non ex rumoribus, ſed ex vera cauſa quid cuiuſque rei ſit, ſtatuit. Nullus tunc in Rhætia rerum Venetarum curator fuit, cuius fide Venetus ſenatus niteretur. Sed quicquid illi veteratori, de quo ſupra memoraui, ſpargere libuit, vulgò creditum. At quod ille, aut alius quiſpiam de hoc negotio ad eum modum retulit, nos negamus eſſe verum. Pernegamus, inquam, in Rhætia quicquam ope noſtra factum, quo minui Venetæ Reipub. dignitas, aut iura fœduſue poſſit. Dicimus, in tota Rhætia eſſe neminem tanta audacia, qui ſe regij legati hortatu, pollicitationibus, donis ad Venetum fœdus deſtituendum ſollicitatum, traductumue fuiſſe dicat, niſi hominem mendacem, & impudentiæ mancipatum. Cæterùm, dum ea res apud com-

munitates ageretur, ille bipedum audaciſſimus in nos furioſiſſimè debacchari non eſt veritus. Vt vidit, de Veneto fœdere finiendo à communitatibus conſultari, illico, vt ei negotio intercederet, neſcio quas literas ducales exprompſit intẽpeſtiuas, & nulli vſui; quibus tamen imperitæ multitudini oculos perſtringi poſſe credidit. Eâdem vulgauit, legatum Venetum breui in Rhętia conſpectum iri ea poteſtate pręditum, quę omni hominum generi abundè ſatisfactura eſſet. Omnes obteſtatur per ea, quę cuique ſunt chariſſima, vt, in ſua quiſque communitate omnem Veneti fœderis mentionem ſupprimat. Quippe ſolo ſilentio, qua re nulla res procliuior, fœdus prorogabatur. Omnibus huius operæ magnas mercedes pollicetur. Addit, in Veneto ſenatu agi de ſex Rhæticis cohortibus per Italica præſidia diſponendis. His ordinarium, ac perpetuum ſtipendium iam decretum eſſe. Hæc

alia nouitate cumulat. Agitur, inquit, de fœdere inter Venetam Rempub. & quatuor pagos proteſtantes paciſcendo. Id quod religioni noſtræ quanto & præſidio, & incremento futurum ſit, copioſiùs intelligi, quàm dici poteſt. At ſi Veneto fœderi finis adſit, hæc tractatio, ſcilicet, vaneſcet. Miniſtris iis, qui ei credulitatem ſuam addixerãt, ſemper inſuſurrauit, manente Veneto fœdere, haud dubiè religionem proteſtantem in Italiam introductum iri. Venetiis breui fore eccleſiam Euangelicam, floridam, & valeſcentem. Hæc, atque talia homo lingua immodicus, & vix vnquam ſanus per circulos, & vbicunque apud multitudinem poſſet, ſine vllo pudore blaterabat. Nihilo tamen minùs in communitatibus res procedebat. Nam quæ & ille, & eius emiſſarij ſpargerent, cùm nihil ad rem pertinerent, ea, ſcilicet, & ventus, & auræ verrebant; certè nullus egregiè cordatus

homo admiſit. Igitur mendaciis manifeſtis, & calumniis, quibus vnis valeſcit, quarumq; infelix in melioribus ingenium ferax eſt, manum iniicit. Apud quos hortatu, precibus, & obteſtationibus nihil proficeret, his metum iniiciendum ratus per vniuerſam Rhætiam tabellarios dimittit cum literis ad notos, & ignotos, quibus ſciri volebat, Quicquid contra fœdus Venetum ſtrueretur, eum eſſe Hiſpanicæ factionis conatũ, cui ſi non coniunctis cũctorũ ſtudiis, & omni ope reſiſtitur, Rhæticæ gentis libertatem prorſus eſſe comploratam. Accedere iacturam religionis, quam in Italiam hac ſola via induci poſſe conſtat, alia non poſſe. Impugnationem Veneti fœderis eſſe à coniuratione duorum Europæ maximorum, & potentiſſimorum regum. His deliberatum eſſe, omnes Reſpublicas, in primis Venetam opprimere; tum quantum eſt in Europa proteſtantium proturbare. His decretis Pa-

pam autorem eſſe; cuius inductu hæc duo regia columina coëant in fœdus, & ſeſe nouis affinitatibus vinciant, quę iam inter vtrumque pactę ſint. Siquid conuenta coniugia remoretur, eam eſſe ſponſorum ætatem adhuc teneram, cùm neuter ſit nubilis. Cætera, quæ eò pertinent, eſſe conſummata. Cùm hæc nullo idoneo autore homo vaniloquus vbique vulgaret, ea ad quædam capita redegit ex iis ſcriptis excepta, quibus nomen eſt gazetis, quę Venetiis, forte & alibi conſarcinata per Italiam circumferuntur, & venumdantur à quibuſdam nugiuendas, & cupidè ab iis emuntur, quos improba curioſitas priùs trudit ad cognoſcenda principum negotia, quàm ad conſulendum ſuis. Id ſcripti mittit per totam Rhætiam, velut ampliſſimum teſtimonium eorum, quæ audaciſſimè effutiret. Atq; adeò vt mendaciis conſtaret fides, Aduertite, inquit, id quod iiſdem gazetis continetur

tur

Digitized by Google

tur legatum regis Galliæ apud ordines prouinciarum Belgicarũ nomine regis egiſſe, vt in illis prouinciis, tum Aquiſgranæ religioni catholicæ locus eſſet. Perinde ac ſi cupere & perficere vt catholicis libertas conſcientiæ integra maneat, ea vero ſit indigna chriſtianiſſimo rege petitio. Nihil igitur miri eſt, ſi Rhæticis miniſtris plurimi fallaciſſimis improbi huius architecti lineis in errorem præcipites dati, & à nobis alieniores facti, hinc Rhæticam multitudinem in nos accenſuri videbantur. Verùm cum omnia illa extra rem eſſent, nec enim de ſtatu religionis, ſed de vniuerſæ gentis incolumitate tunc quidem agebatur, communitates, damnatis ſyncophantiis huius blateronis, rem inſtitutam nihilominus peregerunt. Et prudentiores quidem aduerſus ea, quę ille phanaticus homo ſpargeret, rerum fidem pugnare videbant; nec neſciebant qua fide & beneuolentia rex agere pergat

cum prouinciis, & ordinibus Belgicis. Videbant quoque, regem de ea ope nihil deminuiſſe, quam rex ille magnus pater ſuus iis Germaniæ principibus, quos in tutelam recepiſſet, pollicitus fuerat. Illud in primis adnotabant, iis rebus nihil detrahi, quæ regiis edictis continentur, ea dico, quæ pertinent ad ſecuritatem, & commoda eorum, qui in Gallia religionem, quam vocant, reformatam profitentur. Id quoque nemo neſciebat, nomine regis iiſdem ferè diebus actum eſſe cum Duce Sabaudiæ, vt is Valdenſi regione abſtineret, quam Bernenſes poſſideant, quorum ditio, vt amicorum, & fœderatorum, regi curæ eſſet. Cui hæc eſſent ignota, horum aures huius calumniis excipiendis occupatæ vera non admittebant, falſis obuij erant. In his cùm eſſent non pauci, vt dictum eſt, miniſtri, qui eadem populo indere, vt veriſimi-

lia, poſſent, ad eorum ſynodum prouincialem, quæ Schami haberetur, alterum è regiis interpretibus miſi, qui haſce criminationes ex illa Venetæ factionis officina expromptas, in ipſorum conſpectu nudatas telo veritatis configeret. Sanè ille rabioſus ſemper hac via rem omnem reputauit, diminutionem, aut etiam amotionem regiæ apud Rhætos autoritatis eſſe ſtabilimen, & incrementum Venetæ, & in opibus Reipubl. Venetæ proteſtantibus multum fore præſidij. Huc omnia dicta, factaque ſua ſibi referenda duxit, vt Gallico fœdere debilitato, Venetum roboraret. Sanè vt aliquo inſigni merito apud Venetum ſenatum inclareſceret, cùm bonis artibus non poſſet, peſſimis ad id, quod intenderat, graſſabatur. Verùm quicquid illa rabies tentaret, id omne vſque eò effuſum conſtitit, vt in vniuerſa gente nulla, quàm Veneti fœderis, auditio gra-

uior, & acerbior tunc quidem fuerit. Recurſabat animis, ante annum, omnes è Rhętia in Venetam ditionem aditus à Venetis fuiſſe obſeptos. Neque cuiquam Valtellinenſi eò pedem inferre licuiſſe, multoque minùs vllum frumentum, alioſue commeatus inde in Rhætiam importare. Cùm tamen illo ipſo tempore Venetæ ditionis mercatores in Rhætica ditione multa victui, & quotidianis vſibus neceſſaria de more coëmerent, & cum ſuis mercimoniis ad ſua regrederentur. Idque Bergomate & Brixienſi magiſtratu, ſciente, & permittente facerent. Sanè excluſioni Rhęticorum mercatorum à Venetis peſtilentię metus obtendebatur, quem cùm Rhæti falſum dicerent, id totum in ſe iniuriosè fieri interpretati ſunt. Se ergo ea ſpecie haud aliter quàm hoſtes, commercio prohiberi dicebant. Nec diſſimulari poſſe, hanc eſſe inſignem viciniæ, amicitiæ, fœderis violatio-

nem. Quos queſtus præfectus Valtellinæ Paulus Vvalterus è pago Aluonouo Triumuiros per literas detulit, quibus Curiæ lectis, & vulgatis ingens vniuerſorum dignatio erupit dicentium, ſatis liquere nomen Rhęticum à Venetis faſtidiri, atque adeò id omne quod nuntietur, eò pertinere, vt Rhæti hac tam artifici ratione perducantur ad Venetæ amicitię vtilitates veris pretiis æſtimandas; Quæ, ſcilicet, ibi tanti eſſe dicantur, vt quicquid inde proficiſcitur, quamlibet implacidum, id Rhætos ęquo animo ferre par ſit. Nullius dolori illius odioſiſſimæ arcis memoria exciderat, eorumque malorum, & motuum, quibus res Rhętica ſemel concuſſa parum abfuit quin obruta fuerit. His vnum Venetum fœdus cauſam fuiſſe, explorata res erat. Tunc certè ſuperiores Engadinenſes, vnà cùm aliquot aliis communitatibus ſolenni codicillo, eaque forma,

qua ibi maximæ quæque res monumẽtis commendari ſolent, profeſſi ſunt, ſibi deſtinatum eſſe, ſua armis tueri aduerſus eos, quiqui illi futuri ſint, qui ſuarum Alpium clauſtra Venetis reſerare tentarint. Et Splugenſium, Valliſque Rheni communitas cum bonis eorum capita ſacrauit, qui ibi Veneti fœderis integrandi mentionem fecerint. Engadinenſe decretum editum fuit Suſij die decima Iunij anno 1612. Quid multa? Omnis Rhætica res regitur octo, & ſexaginta communitatum ſuffragiis. Harum octo & quinquaginta, nulla exceptione, Venetum fœdus finierunt. E decem reliquis nulla reperta, quæ illud continuandum cenſuerit. Sed ex his nonnullæ hanc conſultationem in diem viceſimum quartum Iunij differri voluerunt. Cętere dixerunt, Si qua legatio à Veneto ſenatu in Rhętiam mitteretur, hanc audiri æquum eſſe.

In paucis diebus Venetus ſecreta-

rius,is quem poſtremũ è Rhętia Venetias rediiſſe memoraui, die viceſima prima Aprilis Morbenium venit. Hic multa in odium, & inuidiam Gallici fœderis afferre dicebatur, quę eò ſpectarent, vt Rhęti eo fœdere ex magna parte debilitato, Venetæ Reipublicæ ſe velut in tutelam traderent. Horum prodigiorum ſatores tota Rhętia peruolitabant. Ad hos ille Rhętus, Venetarum partium ſpecimen ſolito furore pręceps, ad alios Venetus literas dabat, & quidem vterque per ſecretas notas, ſeu ſiglas, tum ficta, & inuerſa nomina, quorum ſenſus iis vnis notus eſſet, quibus eę literę eſſent inſcriptę. Tabellarius, pręter alios, fuit neſcio quis Calandrinus, quem antea iſti in Heluetiã ad pagos proteſtantes miſſitauerant, cum mandatis in nos contumelioſis. Hic ipſe, miſſu eorum, qui in Rhætia Venetis operam dabant, eoſdem pagos antea rogauerat, vt Rhætis Ve-

netum fœdus diligenter commendarent. Paulò poſt, cùm iſte ad illa ipſa negotia in Heluetiam recurreret, nimio properandi ſtudio Rheni, qui continuis imbribus intumuerat, fluctibus hauſtus, & extinctus eſt. Literarum faſciculi ad ripam amnis in vidulo reperti, ad me allati cùm eſſent, in his nihil vidi, niſi ipſiſſimam inſulſitatem, & literas ſuis autoribus dignas. Veneto ſecretario ibi nomen inditum Pugnator, Rhætico illi veteratori vigil; Me fecerant Ignatium. Iſti etſi omni, quacunque ratione poſſent, Gallicum nomen inſectabantur, tamē ſuæ ſemper verſutię memores, & quantum à ſynceritate recederent, tantum fraudi adhærentes, quoſcunq; alloquerentur, his perſuaſum eſſe volebāt, Quod ad Venetū fœdus attinet, Regi cū Veneta republica egregiè conuenire. Quibus calida opus eſſet, hos calida, quibus frigida, hos frigida aſpergebāt. Ad me Venetus nullas literas dedit,

etſi, antequam Curiam veniret, iam duos in Rhætia menſes exegerat. Morbinio profectus eſt Clauenam. Ibi apud eos, à quibus conueniretur, eas, quas attuliſſet, artes propalam exercebat. Paulò poſt Tuſium profectus, inde dat literas ad Triumuiros, quibus rogat eos Curiam vti conueniant, vbi apud ipſos expoſiturus eſſet ea, quæ haberet in mandatis. Multos onerat promiſſis, ſed iis, id quod ibi in primis aduertebatur, quæ non ſonarent. Quæ gratis, donoque daret, eæ erant fabulæ de nobis. Si illa regia coniugia materiam ſermonum vniuerſa illa factio non haberet, nihil erat quod dicerent. In eo tunc ſecretarius falſus eſt, quod Triumuiros haud cum magno comitatu Curiam venturos crediderat. Sanè ſe ab incomitatis facilè impetraturum ſperauit, vt communitates circumiret, & hoc pacto multitudini quicquid agitaſſet, inderet. Hæc ei reliqua videbatur eſſe, & quidem

compendiaria ratio perficiendi ea, ad quæ veniſſet. Sed vbi ad ſui aduentus famam, ex iis plures, quibus aliqua Reipub. cura, Curiam conueniſſe vidit, planè conſternatus eam in illo frequenti conſeſſu orationem de continuando fœdere habuit, quæ continuò ad communitates delata eſt. Communitatibus Triumuiri diem dixerunt viceſimum quintum Iunij, quem ad diem reſponſum ab omnibus Curiam perlatum eſſe oporteret. Id tempus Venetus prorogari volebat, videlicet ad diem decimum quintum Auguſti, vt hoc ſibi ſpatium laxius eſſet ad ea inducēda quę attuliſſet. Pittago egreſſus continuò venit ad me; vbi longiori ſermone inſtituto, certè paulò minùs horæ ſpatio mecum moratus, de Veneto negotio, id quod ego ſummopere ſum miratus, ne verbum quidem. Id mihi documento fuit, ipſi decretum fuiſſe, à ſua priſtina conſuetudine neutiquam diſcedere. Velle, in-

quam, quicquid agendum ſuſcepiſſet, nobis inconſultis, ne dicam inuitis, perficere. In primis id agere videbatur, vt Venetum hoc negotium aliqua tractatio diuturnior exciperet. Quam rem nonnulli odorati, huic propoſito reſtit unt. Inter hæc, non dubitat vulgare, me literas regis propediem accepturum, quibus iubear, vt hoc negotio me prorſus abſtineam. Nam quicquid iſti cuperent, id iam pro impetrato habebant. Me certè illa factio pergebat finiendi Veneti fœderis autorem nuncupare. Atque adeò Venetus legatus, qui tunc ageret in aula regis, apud regem ſumma ope contenderat, vt mihi hoc negotio, omnique ea tractatione interdiceretur; Aut ſanè Veneto fœderi non ſolùm intercedere, ſed & qua re maximè poſſem vt fauerem, iuberer. Nec ille veritus eſt tanto regi modum facere, qua ratione, & per quos ſuam rem agi nollet. Die duodecima Iunij ſecretarius venit

ad me, dixitque ſe ex Veneti principis literis cognouiſſe, quàm amicè rex erga Venetam Rempub. affectus ſit. Idcirco ſe profiteri apud me ſuam mihi beneuolentiam ad omnia præſto futuram; certa quidem ſpe fore vt erga ipſum pariter animatus eſſem. Idque palàm facerem in eo negotio, cuius iterum à Veneto ſenatu procurationem accepiſſet; quaſi vero de amicitia regis & Reipub. Venetæ quiſquam dubitet, aut quomodo vterque noſtrum erga alterum affectus eſſet, id ad ea, quæ vterque in mandatis habuiſſet, quicquam pertineret. Verba inconſultiùs prolata beneuolo reſponſo proſequutus, iuſſi ipſum à me ea expectare, quę eſſent opis meæ. Sed, vt negotium, quod ageretur, attigit, id eum ſcirę volui, nequaquam id agere nos, vt cuiquam obſimus, ſed vt ne quis nobis. Ibi à me contendere cœpit, vt Rhætico ſenatui propalam dicerem, non ſolùm regem nolle Venetæ Reipub. vti-

litates retardari,ſed vehementer cupere Venetum fœdus in Rhætia continuari. Illud prius dixi eſſe rem ſuperuacuam, ac tam vetuſtę, ac peruulgatæ amicitiæ non ſolùm non conuenienter, ſed & apertè nonnihil detrahentem. Nec enim regem admiſiſſe, quo de ipſius erga Venetam Rempub. animi propenſione dubitare quiſquam debeat. Hinc potiùs falſæ alicui ſuſpicioni initium fore. Hoc poſterius me facturum negaui. Nam alieno negotio priùs quàm caueam, oportere me rationes regis, & quicquid eò pertinet, in tuto videre. De tota re me regi ſcripſiſſe, cuius nunc reſponſum expectem. Debere ipſum non minimi beneficij loco ponere,quod ſuę curationi me non interponam, eíue intercedam. Sanè qui rebus tuis, cùm vnus poſſit, non incommodat, is tibi, opinor, fauere cenſetur. Poſtero die rediit ad me cúm illis ipſis petitionibus heſternis. A me rétulit illa ipſa reſpon-

ſa quæ pridie. Dixit & hoc, legatum regis qui agit Venetiis, habere in mandatis, vt cum Senatu conueniat de iis articulis fœderis, qui ſunt controuerſi. Idcirco Senatum exiſtimare, me eos articulos Venetias eſſe miſſurum, vt reformari poſſint. In eo negotio ſenatus facilitatem perſpectum iri. Reſpondi nullum me ſuper ea re à rege mandatum accepiſſe. Cęterùm nihil nobis eſſe controuerſiæ cum Veneta Republica. Quin, ſiquid agendum reſtet, quod ad ſtabilitatem Gallici fœderis pertineat, omnem eam diſceptationem nobis eſſe cum Rhætis; quibus, cùm eò res deuenerit, exhibebuntur exceptiones, quas vocant reſeruationes, eæ, ſine quibus noſtrum quoque fœdus apparet eſſe rem irritã, & inanẽ.

Omnium communitatum ſuffragiis ſuper ſecretarij poſtulatis in pittago recitatis, & numeratis, nulla reperta, quæ Venetum fœdus continuari vellet. Omnes conſenſu in priſtina ſen-

tentia permanſerunt. Ex omnibus pauculę tantùm Venetum ſecretarium, ſi- quid noui afferret, audiri non abnuebant. Cęteræ omnes palàm teſtatæ ſunt, ſe, quaſcunque conditiones Venetus afferat, id fœdus iubere eſſe reſciſſum, ſcilicet. Heluetico contentas, & Gallico. Huius rei in ſingulis ſcriptio ſolennis edita. Hinc decretum compoſitum, & Curiam miſſum Veneto ſecretario ſignificari non potuit. Quale enim futurum eſſet, cùm ſui prodidiſſent, is, nemine ſalutato, antequam dieſceret, tenebroſo diſceſſu Tuſium reliquit, & Alpe Splugę ſuperata, per Clauenam, & lacum Larium terræ Venetę ſe reddidit. Tunc Veneta factio vltima prope deſperatione irritatior, quæcunque in regias affinitates antea iecerat, ingeminat. Vſque eò quicquid ſuper Veneto fœdere à Rhętico ſenatu decerneretur, id nobis autoribus fieri, apud ipſos fixum & immotum fuit. Enimuero, quod in pri-

mis aduertendum eſt, rerum Venetarum curatores tunc quidem nullam Rhæticę genti nouam conditionem tulerunt, qua quiſquam ad Venetum fœdus renouandum allici poſſet. Pro ea, iniquiſſima in nos odia mouere, ſi poſſent, eaque portentoſiſſimis mendaciis alere, & augere inſtiterũt. Venetum fœdus expungi clamãt, vt in Rhętia Hiſpanicum reuireſcat. Spem eccleſiæ proteſtantis, vt vehementiſſimum incẽtiuum, apud multitudinem redintegrant. Si Venetum fœdus reſtituatur, cum Veneto Senatu pactum iri aiunt, vt Venetæ Reipub. ſumptibus Rhæticus legatus Venetiis continuus commoretur. Atque vt ei legato liceat in vrbe Veneta frequentare eccleſiam proteſtantem. Id quod ibi futurum ſit firmum proteſtantibus præſidium, & ingens religioni incrementum. Cui petitioni ſatis audacter illa tanta inſania Venetum ſenatum facilè aſſenſurum firmat. Nam qui minùs,

inquibant

inquibant, quàm Græcis, quorum propria eccleſia Venetiis exſtet, id iuris hodiernis proteſtantibus concedatur? Certè Græcos nihilo magis eſſe in partibus Pontificis Romani, quàm hodiernos euangelicos. Tunc quoque Tigurini, Bernenſes, Glaronenſes per literas à Veneta factione rogati fuerunt, velint Rhætos hortari ad fœdus cum liberis gentibus potiùs, quàm cum regibus, & principibus ineundum. Huic preci pagi nec tardè, nec grauatè per literas indulſiſſe dicti. Similes his literæ à Germaniæ principibus nuper fœderatis expectari dicebantur. Sed eæ nuſquam viſę. Per eos quoque dies, quidam medicinę conſultus nomine Lentulus, qui Bernæ habitaret, Curiam venit. Huic erat multa cum Venetę factionis hominibus, & arcta conſuetudo. Quicquid ageret, tectè agebat. In oppidulum Bruk è multis locis confluxerant compluſculi, quiſque pro eius ingenio, cui operam daret, de hoc

Veneto negotio conſultantes. Rumor, & quidem conſtans, Rhætiam peruaſerat, ab ſenatu Veneto ſingulis, qui eſſent virilis ſexus, viritim datum iri tres aureos coronatos, dum Veneto fœderi locus eſſet. In vrbe Curia cùm in quibuſdam nuptiis lætitiam conuiuialem, ita vt ibi fieri conſueuit, ſaltatio proximè ſequeretur, inter ſaltandum nonnulla munerum promiſſa quibuſdam matronis inſuſurrata fuiſſe conſtitit, quæ pertinerent ad ſubruendos vxorum opera animos virorum, eoſque traducendos ad Venetas partes. His, & ſimilibus artibus Veneta factio perueniſſe dicebatur ad illa paucula, quę proximè dixi, ſuffragia, valde infirma, ac prorſus inania præ aliis, quę eſſent quadraginta nouem, quibus Venetum fœdus iterum reſcindebatur.

MDCXIII Dicebatur quoque ambiri fauorem, & cõmendationem regis magnæ Britanniæ, ordinum prouinciarum Belgi-

carum, principum, & ciuitatum fœderatarum Germaniȩ ad Venetum fœdus Rhȩtis inſinuandum. Verùm in his omnibus quæ dixi, fuit leue momentum præ eo, quod tunc à pauculis veteratoribus repertum. Hi cùm ſtudium Rhȩticæ proſperitatis egregiè ſimularent, nonnulla iecerunt in ſpeciem præclara, de Rhætica Repub. quȩ pernimiùm popularis ſit, ex illa colluuione in meliorem diſciplinam, formamque illi ipſi in tabulis antiqui fœderis olim inter Heluetios & Rhætos initi curioſè rimati erant, ſi ibi inſerta eſſet aliqua clauſula, cuius vi & ſenſu Heluetiis in Italiam ſuum militem cui vellent, mittere liceret. Id cùm nuſquam ſcriptum reperiſſent, alià rem tentant. Aiunt inter vtramque gentem renouari fœdus oportere, cuius legibus vterque populus arctiùs cō-ſtringatur. Scilicet, id vnum parabatur, vt nouo fœderi infererentur ea quȩ dixi verba, liciturum Heluetiis, quan-

docũque & quibuſcunq; ſolent, auxilia per Alpes Rhæticas in Italiam mittere. De ea re ea tantùm conſilia inibantur, quæ ad effectũ perduci poſſe certa ſpes eſſet. Rhętici enim motus tam ſubiti ac tam frequentes timebantur, qui huic propoſito intercedere poſſent, ſi non paucorũ nomine Reſpublica conſtitueretur. Quod ſanè deſtinatum quò ſpecioſius eſſet, hoc fraudulentiùs ad illorum primorum dominatum ſternebat iter. Sed qui hæc agitabant non ſatis pernorant ingenium Rhæticę multitudinis, cui citiùs animam, quàm ſummam rerum omnium poteſtatem adimas His tamen huius ſuſceptionis autoribus propoſitum fuit, vt ſi de Alpium tranſitu tranſigi poſſet, eâdem quidam ſenatorius ordo in Rhætia legeretur tanta authoritate, vt huius pactionis ad effectum perducendæ Heluetiis quodammodo præs eſſe poſſet. His omnibus accedebat id quod iſti, vt ſupra dixi, credi volebant,

Magnam Rhæticorum militum manũ principem Venetum petiturum eſſe, quæ reliquo fœderis tempore in Italicis prę́ſidiis collocaretur, & Venetis in Rhętia omnia impetrabilia redderet. Cuius rei mentio Rhæticæ multitudini dici non poteſt, quàm alluberet. His rationibus Rhæticã gentem adduci poſſe crediderunt, vt Venetum fœdus inſtauraret. Cæterarum artium nullam illa factio prætermiſit, quibus abſque vlla ope noſtra id efficeret quod intendebat. Sed genti tunc quidem manſit in eo, quod de eo fœdere decreſſet, firmitas. Proinde omnes exiſtimarunt, Venetarum rerum curatores illud inceptum omiſſuros, cuius perficiendi ſpes in dies collaberetur. Eam opinionem confirmarunt, & auxerunt literæ Veneti principis ad Rhæticam Rempub. datę die viceſima nona Iunij, quas attuliſſet is, per quem mitti annua generalis penſio, maioreſque moſcheti ſolebant. His literis Vene-

tus princeps iis acquieſcere, quæ Rhæti de fœdere ſtatuiſſent, videbatur. Rhæti, quibus nihil aliud, quàm quod iis literis commendatum eſſet, ſuſpicandum relinqueretur, in eamdem ſententiam ſcriptas literas, & eamdem beneuolentiæ ſignificationem præferentes Venetias mittunt, datas die decima ſeptima Iulij.

Iiſdem fermè diebus de inducendis in Valtellinam Ieſuitis occultè agi cœptum. Ea de re viſum, & contrectatum fuit exemplum earum literarum, quas ad regium legatum, qui apud Heluetios ageret, dederat quidam Heluetius magni inter populares nominis. Hæ in gentem Rhæticam tam contumelioſe, tamque minaciter ſcriptæ fuerunt, vt earum ſcriptori ea gente nihil contemptius eſſet. Nemo hominem tanta audacia vllo reſponſo dignum duxit. Nemine item eius negotij mentionem facere auſo, illud incœptum euanuit.

Ad Maximilianum Archiducem à Rhætis de confiniis, & aliis quibuſdam tunc miſſa legatio eſt.

Iiſdem diebus Veneta factio in me, quem ſuis deſtinatis promouendis parum idoneum duceret, ſuis artibus inſurrexit. Nimirum, cùm à me in Rhætia diutiùs, quàm vulgatum fuiſſet, & ipſi exiſtimaſſent, commorari, nec in Galliam reuerti viderent, cogitare cœperunt, qua me fraude circumuentum opprimerent. Per interpoſitos neſcio quos homunciones me falſorum, ſed ingentium promiſſorum imagine deludi ſocordes homines, & in eam dementiam impelli poſſe crediderunt, vt, quæ ipſi ſuis imaginationibus agitaſſent, iis me implicatum irem. Id quod ſi feciſſem, mortalium ſtultiſſimis, & infeliciſſimis annumerandus eſſem. Sed illa colluuies certiſſimis argumentis compertum habuit, me probitati militantem improbas artes ad ſuos au-

tores reiicere. Eius perfidioſiſſimi doli teſtes à Curienſi magiſtratu ſingillatim interrogari, eorumque dicta, ac reſponſa planè expromi, perſcribi, & publicæ fidei mandari volui, vt inde omnis illa ſceleratorum hominum ſcena detegi, & diſiici poſſet. De eo tam immani ſcelere quos oportuit, certiores cùm feciſſem, ea illorum capitibus imprecati ſunt, quibus dignus eſſet quiſquis in me talia contechnari auderet. Eius rei acta penes me remanſerunt.

At Veneti, qui ſui fœderis in Rhætia integrandi omnem ſpem, & conſilium poſuiſſe viderentur, rurſus ad id negotium acriùs accinguntur. Eâdem eius negotij curatores fidem fecerunt, id ſedulò ab ſe vitari, vt, rege propitio, & adiutore ſuas res in Rhætia promouiſſe dicerentur, mira conſiliorum, & voluntatum diuerſitate. Nam qui regis interceſſionē in aula, & apud me flagrantiſſimè ambirent, iidemſe

eius indigentes eſſe à nemine credi volebant; ne ſcilicet, regi ſupplicare viderentur, & eò ſe loci demittere, à quo ſola Veneti nominis autoritate talia tractantes vindicari poſſe crederent. Hinc palàm factum eſt, non tam eos auxilium regis implorare, quàm impedimentum deprecari, quod vel in ſolo Gallici fœderis vocabulo poſitum exiſtimarent.

Per idem tempus Vrij, Schvvitzij, Vnderualdenſes, Rhæti conſenſu ad conlimitia Mezauci ſuos nuntios miſerunt ad illas, de quibus ſępe dixi, controuerſias dirimendas. Verùm vbi omnes conueniſſent, multa inuicem conſumpta oratione, omnia in ſuſpenſo relicta. Tunc me Rhæti rogarunt, ſuæ cauſæ perficerem vt ſua gratia rex, & autoritate adeſſe vellet. Id quod eò confidentiùs petere ſe dicebant, quòd præfectum Mediolani Heluetiis apertè fauere, compertiſſimum erat. Reſpondi benignè. Sed vtris rex faue-

re debeat, cùm vtrique ſint eius fœderati, expediri non poſſe; Ne dum horum cauſa propugnatur, illorum oppugnetur. Ab his leues gratiæ, ab illis acerrima odia referantur.

Inter hæc, fama in Rhætiam tulit, Gregorium Barbadigum, patritium Venetum, qui ante paucos annos munere Venetę legationis ordinariæ apud Sabaudum functus eſſet, id iter ingreſſum, quo Venetiis rectà itur in Rhætiam. Eadem fama nuntiabat, hunc in Angliam ad munus Venetæ legationis ordinariæ iter intendere, & per Rhætiam, id quod nouum, & inſolitum eſſet, tranſiturum. Dicebatur, eum moderari itineri, certè procedere quidem, ſed cantabundum, & attentum obſeruare, ſiquid ſibi nouæ rei in lento itinere alicunde afferretur. Ad hunc rumorem ipſe, qui inibi eſſem, vt in Galliam, iamdiu perfecta legatione, redirem, ſubſtiti. Fieri poſſe credidi, vt

iſte per nomen longinquę legationis aliud in propinquo moliretur; & inſoliti itineris vſurpatione ea ex improuiſo in Rhætiam perferret, quibus res noſtra ibi ſatis compoſita turbari poſſet. Ergo ſtatui obſeruare, an ſpecie tranſitus aliud ageretur. Vt is Rhætiam ingreſſus eſt, rectà Clauenam iuit. Ibi dies decem eorum admiſſionibus impendit, qui ad eum ſalutatum ventitarent; tum ſcribendis literis, ac tabellariis in omnes Rhætiæ partes dimittendis. Inde Curiam perrexit. In eo toto itinere adnotatum fuit, eum non apud alios hoſpitari ſolitum, quàm qui Venetarum partium apertè fuiſſent.

Vbique habuiſſe conciliabula, in quibus omnes vehementer hortaretur, vt in Veneta amicitia, & partibus conſtantes eſſent. Dictis addere ſolitum aliquot nummos aureos, quibus nomen eſt cechinis. Vt fuit Curiæ, veſpere iam adulto, miſi qui ei meis verbis

ſalutem plurimam diceret. Poſtridie ipſe hominem viſitaui. Tertio ad prandium vocaui. Inter hęc, multa, vt fit, de rerum, præſertim Italicarum ſtatu inter nos. Ab eo ſermone ſenſim delapſi ſumus ad Rhætica, ea potiſſimũ quæ de Veneto fœdere non ita diu acta ab Rhęticis communitatibus fuiſſent. Statim aduerti, ipſum nihilominus quàm alios, qui illic Veneta curarent, imbutum eſſe falſis. Sanè nonnulla iaciebat, quæ omnino non eſſent, & ea quæ eſſent, prorſus ignorabat. Veneti fœderis reſciſſioni me autorem fuiſſe, ei penitus infixum erat. Quid agerem, ſi non priùs exſtirparem illa, quæ eius animo penitus inſediſſent? A rerum fide, ea, quæ ad confutandum exiſtimationem falſiſſimam opus eſſent, deſumpſi. Multa homini ſingillatim aperui, in quorum ignoratione eum verſari viderem. In primis, amicè de eo queſtus ſum, quod Veneti regis amicitię non tantũ tribuerẽt, quan-

tum tribui æquum eſſet. Scilicet, ad ſuas res in Rhętia inſtaurandas dici, eos eorum opem rogare, aut rogaturos eſſe, quibus opitulandi ſibi non eadem facultas eſſet quę regi. Nam qua ratione de ea re mecum à Veneto ſecretario paulò ante actum fuerit, neutiquam poſſe dici eam, quæ inter amica imperia in vllo vſu ſit. Mutua, inquam, beneuolentia vtriſque ſuadet, vt liberiùs, & ſimpliciùs agatur. Regem quid ita refugitis, cuius propenſum erga ſe animum Veneta Reſpublica recentibus documentis, in ſuo magno diſcrimine, experta eſt? Patrem hodierni regis, dices. fateor; ſed cuius virtutes in filio noſcitantur; & illa regia charitas, qua ille auguſtiſſimæ memoriæ parens ſuus plurimas gentes complexus eſt, in his Venetam. Verùm è tot, tamque illuſtribus eius rei documentis hoc vnum eximitis Rhęticum negotium, quibuſdam ſuſpicionum nubeculis obductum, quas præteritarum rerum

memoria facilè euerret, ſi res introſpicere, & amicitiam ſuis momentis, & ponderibus, non ex rumoribus, & è falſis rerum inanium imaginibus æſtimare in animum induxeritis. Nam quod ad hoc Rhæticum negotium attinet, nequaquam falſi futuri eſtis, ſi intellexeritis, veſtræ Reipub. fœderis cum hac gente inſtaurandi omnem ſpem ademptam, propter eas cauſas, quas non abs re fuerit, te ex iis, qui omnem rem tenent, cognoſcere. Reſtat tranſitus, de quo hoc tibi habeo dicere. In regis manu eſſe Rhæticarum Alpium clauſtra vobis patefacere; & quidem duplici ratione. Prior ducitur ex eo capite fœderis, quo regi permiſſa eſt facultas tranſitus, vſque eò, vt ipſi liceat, eamdem copiam ſuis amicis impertire. Altera eſt vetus regum Galliæ apud Rhætos gratia, & autoritas, cuius interpoſitu ſperandum eſt, id obtineri à veteribus amicis poſſe, quod quilibet alius fruſtra conficiendũ ſuſciperet.

Si id veſtrum eſt de vobis iudicium, vt ſitis ſynceri amici regis, cur vti tales par eſt, ad eius opem in hoc negotio, confugere parcitis, quem in aliis non minoris momenti rebus validum adiutorem experti eſtis? Hoc, inquis, illud negotium eſt, in quo regis miniſtros nobis aduerſarios experimur. Rectè, ſi modò iſta non falſò dici, res palàm faceret. Culpam æquũ eſt quemque noſſe ſuam, priuſquam alienam exprobratum eat. Summa hæc eſt, Id cuius gratia hoc fœdus tantopere vobis expetendum ducitis, qui eſt Alpiũ tranſitus, vos, rege propitio, & veſtram cauſam ſuſcipiente, conſequi poſſe; Alia ratione non poſſe. Hæc eſt vobis vnica, & cõpendiaria, omniumq; honeſtiſſima tantæ rei adipiſcendæ ratio, quam ſi ſequuti fueritis, multum ſumptuoſarũ moleſtiarum, vos quidem cõpendi feceritis. Qua de re etſi nihil in mãdatis habeo, quippe tuus ad nos aduẽtus inopinatus fuit; ſanè inibi eram,

vt darem me in viam, & in Galliam redirem; Nihilominus tamen de regis erga Venetam Rempub. ſtudio, & beneuolentia mihi vſque eò compertum eſt, vt, vide quid mihi ſumam, ad me recipiam fore, vt, ſi id vos à regia maieſtate deſideraueritis, eius effectus vobis eſſe ſalutares, haud multò poſt, lætemini. Statim vt reſciuero, an regem ad hanc rem deprecatorem adhibituri ſitis, equidem huic negotio nullam rem præuertam. Tu ipſe totius rei, vbi feliciter ceſſerit, ſpero, æquus æſtimator me verum eſſe cum ſumma animi tui voluptate cognoſces. Tunc is in regis laudes effuſus, mihique gratiis actis, dixit, Venetos ſemper fore imitatores maiorum ſuorum, in eo quod elaborarunt, vt ſua erga Galliæ reges ſingularis obſeruantia omnibus gentibus perſpecta eſſet. Addidit, ſe quamprimùm hominem certum Venetias eſſe miſſurum, & quidem per equos diſpoſitos, cum literis, quæ tam
inſigne

inſigne regis beneficium, meamque tam officioſam operam ſenatui exponant. Eum tabellarium cum ſenatus literis intra duodecim dies hîc fore dixit. Hoc reſponſum vbi acceperit, ſe ad me venturum, vt omnem Veneti ſenatus ſententiam ab ſe cognoſcam. Ex his mihi intelligere datum, neutiquam ipſum illud iter ingreſſum eſſe, vt in Angliam proficiſceretur, ſed vt hoc Rhæticum negotium ſimulatione illius Anglicæ profectionis, in manus ſumptum in omnes partes verſaret, & ex animi ſui ſententia conficeret; ſanè nouum negotium Rhætis nec opinantibus exhiberet.

Eodem anno à Bernenſibus legatio in Rhætiam venit, ex qua cognitum eſt, inter ipſos, & epiſcopum Baſilienſem exortum eſſe neſcio quid litigij, ex eo quod ius quoddam ſuum violari dicerent. Enimuero ſi id non obtinuerint, vereri ſe ne id armis aſſequi, ac tueri neceſſe habeant; at-

que adeo ſuos fœderatos rogare vt ſibi auxilio veniant, in his Rhætos, quos idcirco de eo admonitum miſerint. Ad ea Rhæti promptè reſponderunt, ſe in eam expeditionem, cùm opus fuerit, miſſuros tria millia militum.

Poſt aliquot dies alius patritius Venetus cognomine Contarenus, qui ad Gallicam legationem obeundam proficiſceretur, tranſiit per Curiam, vbi vnà cum Barbadigo duos dies commoratus, tertio diſceſſit. Hunc poſtquam viſitaſſem, vterque venit ad me, vterque fuit à me ad epulas inuitatus. Cùm de rerum ſtatu ſermo à nobis inſtitutus eſſet, illa ipſa, quæ antea Barbadigo de Alpium tranſitu dixeram, apud vtrumque iterata eodem fine concluſi. Nec aliam viam eſſe dixi, quam quidem ego videam, qua Veneta Reſpublica peruenire ad id, quod cupit, poſſit. Vterque ea, quæ ex me audiſſet, plurimi facere eſt viſus. Nam mihi vterque officioſiſ-

ſimis verbis gratias egit. Illico de ea re communes literas ſe ad Venetum principem daturos dixerunt, ſeque eas miſſuros per hominem certum, qui iter per equos diſpoſitos facturus eſſet. Tunc Barbadigus mihi, Nondum ad primas illas meas reſponſum accepi. Id quod vt mihi, qui dictos dies computarem, parum perſuaſit, ita non verum fuiſſe, poſtea conſtitit. Credibile erat, ſibi, qui nodum in ſcirpo quæreret, non fuiſſe reſponſum id quod vellet. Et ideo primum reſponſum ſuppreſſiſſe, & aliud elicuiſſe nouis literis, quibus quanta ſpe fœderis inſtaurandi niteretur, Veneto principi palam faceret; ac proinde iis, quæ ei de tranſitu dixiſſem, eam ſpem, in quam totus promineret, prorſus anteponendam duceret. Sanè ita eſt, Quam rem ego ei facilem, & expeditam reddidiſſem, ipſe iis tricis inuoluit, quibus nunquam ſe expedire potuit. Ad poſtremum, intellexit, in re-

rum tractatione rectam, ac tutam eſſe viam ſimplicitatis, verſutiæ fallacem. Cæterùm ipſe, qui ſcirem, quibus artibus quoſcunque poſſet, à nobis auerteret, non quid loqueretur, ſed quid ageret, mihi attendendũ duxi. Meam curam meritò intendebant munera, & pecunia, quam is propalam diſpergeret in plures. Scilicet, ex aureo ſemine auream meſſem ſperauit. Sed denique ſpinas meſſuit. Nec tamen tunc Rhæticam plebem lucro tam proſtitutam reperit, vt non aliqui extiterint, qui illa tam intempeſtiua & ſubdola munera, quibus multitudinis animos aggrederetur, alto vultu reiicerent. Complures ei dixiſſe conſtitit, Rhæticarum Alpium tranſitum ſine interceſſu, & autoritate regis ab Rhætica gente impetrari non poſſe. Nam de fœdere vix vlla apud ipſum facta mentio, niſi à quibuſdam, qui ſe Venetarum partium columina profiterentur. Iam tunc experiri cœpit, quàm verum

eſſet id quod nulli Veneto perſuaſum eſſe poſſet, Rhæticam gentem de eo ſingulares Deo gratias agere, quod ſe iugo Veneti fœderis exuiſſet. In omnibus communitatibus ſæua murmura aduerſus ipſum oriebantur, cui cùm in Rhætia nihil negotij eſſe dicerent, tamen Curiæ diutinam manſionem meditatus multis turbellis excitandis occuparetur. Alij atrociora loquebantur. Et inibi propemodum res erat, vt ſub vexillis cohortes ducerentur in eos, ſi qui reperirentur, quibus vel leuis Veneti fœderis inſtaurandi mentio excideret. Agnoſcunt, quàm contemptim cum tota gente agatur, & quot modis ſibi inde illuſum fuerit. Binas, inquibant, à Venetis literas accepimus, quibus nos ſcire voluerunt, quanquam fœdere finito, antiquæ tamen amicitiæ iura, quæ ipſis, & nobis communia ſunt, manſura. Hoccine eſt, ſe amicum profiteri, ſpecie longinquę legationis hac tranſire,

ac diutiùs, ne magiſtratu quidem vnquam ſalutato, hîc hærere, & indignis modis nos ad diſcordiam impellere? & inter nos vix priſtinis ereptos tumultus nouos excitare? Anne id dolent, quod iis malis ſubtracti ſumus, in quæ nos ipſi præcipites dederunt, niſi inſuper huc mittant qui nos agitet, propemodum vt ſi ſimus Veneta mancipia? Et nos iſta diutius feremus? Non ſi viri ſumus, & quidem noſtræ libertatis memores. Vix aliud tunc quidem per vniuerſam Rhætiam ſermonibus aſſiduis vulgatum.

Tandem mihi ipſe Barbadigus nuntiauit reditum eius tabellarij, quem initio Venetias miſiſſet. Dixit, Senatum Venetum cenſere, vt is excurrat in Galliam, Mantuani, ſcilicet, negotij gratia; & vti ad me perferat literas regis, quibus iubear omni ope præſtare, vt Venetum fœdus in Rhætia renouetur. Ibi ego, Id quod tibi, & Venetæ Reipublicæ nomine

regis obtuli, nequaquam eò pertinet, vt Venetum fœdus inſtauretur; ſed vt vobis per Alpes Rhæticas veſtras militares copias traducere liceat. Nempe hæc eſt ſumma voti veſtri, & eius ſiue officij, ſiue beneficij, quo nunc rex afficere Venetam Rempublicam poteſt. Tranſitum dico, cuius & ius & poteſtatem, nec præterea quicquam, opinor, fœdus a vobis tantopere expetitum ſpectat. Ad hæc is ita reſpondit, Cùm omne, inquit, fœderis momentum, vt tute ais, poſitum ſit in tranſitu, idque nunc agatur, vt is Venetæ Reipublicę quæratur; & hoc ius ita ſolidetur, vt conuelli non poſſit, certè haud minor res agitur, quàm ipſum fœdus; ſiquidem omnem propemodum vim fœderis tranſitus habet. Idcirco qui nobis tranſitum, ille ipſe fœdus eâdem impetrare poteſt. Quæ verba mihi argumento fuerunt, id quod ei

nomine regis obtuliſſem, non ſatis candidè ad eius aures, & animũ perueniſſe, cui tantum beneficium ideo euiluiſſet, quòd fuiſſet obuiũ & expoſitum. Quiſquis, inquam, id quod in ſua manu eſt, amico præſtaturum ſe pollicetur, non obligat ſe ad id pręſtandum quod non poteſt. Rex id quod dixi, ſuo iure poteſt. Quod vos petitis non poteſt. Trãſitum, inquam, vobis concedi regis rationes ferre poſſunt. Fœdus vobiſcum ea ratione fieri, qua factũ eſt, quin eâdem Gallicũ deſtruatur, non fieri poſſe conſtat. Nunc videte, an vobis id pręſtari honeſtè poſtuletis, quod amico, & adiutori veſtro apertè nocet. Quin etiã ſi veſtro fœderi, vt æquum eſt, adijciantur ea, quibus expreſſis, & exceptis, regio fœderi abundè cautum ſit, tunc demum intellecturi eſtis, vobis iſtud fœdus futurum eſſe nulli vſui, certè non fœdus, ſed ſimulachrum fœderis. At veſtra, & harum Alpium tranſitus ea ratio eſt, vt eo ſine euiden-

ti rerum veſtrarum diſcrimine carere non poſſitis. Ergo æquiſſimum eſſet, id vos regem rogare, quo veſtra commoda ſine eius incommodo continentur, reliquo abſtinere, ne, ſcilicet, magno conatu id ſolùm aſſequamini, vt intelligatis, quid ſit id, quod conſequi, aut efficere non eſt in manu veſtra. Id pręcipuè cognituri eſtis, quàm parum, aut etiam nihil compendij ex eo capturi ſitis, quod non tam vobis concedi, quàm extorquere velle videmini. Vt ad pauca redeam, ea cenſetis æquum eſſe regem vobis petere, quæ ſi impetrauerit, ſua ipſe commoda remoretur. Id quod ſi faciat, tum verò non vobis beneuolens, ſed rei ſuæ indiligens, & ſuis vtilitatibus inimicus meritò pręadicetur. Etiam atque etiam videte, ne tanti, tamque officioſi amici modeſtiam nimis vrgendo, vos ipſos criminoſo importunitatis nomine inquinetis. His nihil reſpondit, ſed ad ea flexit, è quibus perſpexi, huic peti-

tioni Venetos tam pertinaciter adhæ-
rere, quaſi ſibi hanc regis operam re-
tribui æquum cenſerent pro illa, quam
ipſi tunc quidem Mantuano prçſtarẽt.
Cùm tamen res Veneta, & Mantua-
na, propter viciniam, ita connectan-
tur, vt alterius pericula propemodum
ad vtrumque pertineant. Vter horum
vicino opitulatur non alium, quàm ſe
&illum hoc beneficio demeretur. Hoc
ergo, inquam, quod memoras de
Mantuano, vobis vnis imputandum,
non nobis eſt. Cçterùm ſi Rex Ve-
neti fœderis redintegrandi autor fiat,
annon ſe onerat eadem inuidia, qua
nunc Veneti in Rhçtia ſunt? Annon
quantum malorum ea res progignet,
id meritò regi Rhçtica gens adſcribet?
Verùm ſi ne regi quidem petenti mos
geſtus fuerit, quò loci eius autoritas
deiicitur? Ipſe quidem quantum effi-
cacitatis regię maieſtatis rogatum ha-
biturum puto, ſi tranſitus petatur, tam
inefficacem eum fore video, ſi eæ pre-

ces totum fœdus complectantur. At regiæ maieſtatis autoritatem in his locis vigere etiam atq; etiam videte, ne, ſi cuiuſquam alterius, veſtra maximè interſit. Et adhuc ſic loquor, vt ſi de tranſitu tranſactum ſit. Eam rem vos arbitramini eſſe impetratu facilem? Me vide, huic genti nunquam perſuaderi poterit, vt trāſitum cuiquam permittat, quamlibet obligata, niſi ad id bellum, quod omnes fateantur eſſe neceſſarium, & ideo iuſtum. Cùm, ſcilicet, communitates edocebuntur, tranſitum idcirco peti, ne Veneta Reſpublica ab Turca, aut ab alio quolibet, id quod Deus prohibeat, euerſa, iter ei ad alios proterendos pandat. Hac, inquam, tam iuſta, & neceſſaria petitione huic genti perſuaderi poterit, vt regi ex fœdere, & quamuis nullum fœdus eſſet, iure veteris amicitiæ, atque adeò pro tutela nominis Chriſtiani cōmunibus amicis tranſitum petenti mos geratur. Hinc vide, quàm grandi

beneficiò ſibi rex Venetam Rempublicam deuinciat, ſi hos ei tranſitus impetratos reddat. Certè tali, quod nonniſi in magnam gratiam tanti petitoris, & ad ſubmouendum ab ea parte Chriſtianitatis ingẽs periculum concedi poteſt. Hęc etſi is præclarè, opinor, intelligebat, tamen ſeriò diſſimulare ipſi inter artes fuit. Nec extimuit id, quod facile exiſtimatu fuit, illis precibus, quæ nulla nec valida ratione, nec pudore commendarentur, inditum iri nomen odioſæ efflagitationis. His vtrinque dictis, ita diſceſſit à me, vt cui certum eſſet non mutare conſilium. Interea in Rhætia audacter tentauit ea, quæ cur me referre pigeat, cùm ipſum illa admittere non puditum ſit? Vt enim ad rem redeam, iſte, paulò poſt petiit à cõſule Curienſi, vt ædes ipſius conceſſu mercede cõduceret. Reſponſum ei fuit, ſibi ſi quid eſſet in Rhætia negotij, id vti profiteretur. Quippe vocatum iri

Triumuiros, à quibus audientiam impetraturus eſſet. Reſpondit, Nihil ſibi eſſe cum Rhętica Republica rei, ſed quod agat cum legato regis Galliæ. Quo conſilio iſta ſic loqueretur, ſequentia demonſtrabunt. Ac tunc quidem nihil propalam agendum ſuſcepit, ſed omnia clam, & iis artibus, quibus eludi, ac ductari multitudo poſſet. Denique, reſpectu mei, Curiæ vt habitaret, ei permiſſum. Hac re impetrata, dimittit per communitates qui diſſeminent, Gallico legato & Veneto bene conuenire. Venetum quicquid agit, illo volente agere. Pręterea diuulgat, qua humanitate à me exceptus fuerit. Hinc ſe ex inuidioſo putat fauorabilem fore. Rumor interim tota Rhætia crebreſcit, à Barbadigo iis omnibus, qui ſint virilis ſexus, viritim datum iri cechinum. At patribus familias duos, dummodo Venetum fœdus continuetur. Tum eos, qui ab rege ſunt indonati, quæ eſt pleraque multitudo Ve-

netæ munificentiæ magnitudine indu-ctos in partes Venetas turmatim trãſi-turos. Id quoq; fama loquebatur, eum, quem Venetus legatus in Galliam miſerit, in ſingulas horas expectari. Ab hoc regis literas regio legato redditum iri, quibus nouationi Veneti fœderis omni animi contentione fauere iubetur. Id quidem, inquiunt iſti, ſi eſt, vt Veneta Reſpublica à rege impetrauerit, enimuero cum legato diligenter agetur, vt ea regis mandata quamprimùm conficiat. Sin aliter rex ſit animatus, tunc ſibi legatum Venetum perſonam eſſe detracturum. Quippe quomodocunque res caſura ſit, hoc ſibi fœdus Venetam Rempub. reddi velle. Hæc tunc oratio in ore illorum frequens fuit, qui nobis incumbẽtibus id fœdus finitum eſſe credi vellent. Nimirum, vt, ſi regis impenſo rogatu id Rhæti redintegrarent, non idcirco rex eo facto, vt recenti beneficio, ſibi Venetos deuinxiſſe, ſed ipſis rem ere-

ptam reſtituiſſe dici poſſet. Adde quod ſiquid in odium eius fœderis acciderer huiuſmodi, quod Venetis negotium exhiberet, ad id rex, cuius ipſe autor eſſet, propugnandum accingi, & Venetos protegere, neceſſe haberet.

Nondum Triumuiri conuenerant, qui Barbadigum percontarentur quid rerum ageret. Nullus eorum, quibus aliquis Reipub. intellectus, aut cura eſſet, non eo vehementer commoueri, quòd is ne vllis quidem verborum officiis Rempub. dignam duxiſſet. Haud procul ſeditione res dicebatur eſſe, cuius furor eorum capitibus immineret, qui talia audenti fautores & ſatellites eſſent. Spectati quidem moris nullus; nonnulli tantùm ære diruti, & notiſſima quædam hominum mendicabula, ob infidelem ingenij mobilitatem, & morbum procacitatis in nos exercitæ, albo penſionum à me eraſi, ſe tunc Venetarum eſſe partium profiteri audebant. Ipſe Barbadigus intra ſpatium

quindecim dierũ bis ad me venit, hac officij simulatione illiciens me ad ſe pariter viſitandum. Id parabat, vt inſtitutum hoc mutuę beneuolentiæ quoddam veluti commercium ſpeciem certæ alicuius, & arcanæ familiaritatis inter nos faceret. Hinc ſuis, ſuorumque dictis multum autoritatis acceſſurum putauit. Ego, re comperta, vt diſcuterem eam exiſtimationem, ad eum ire deſtiti. Adiice quod, cùm vnà eſſemus, nullos alios, quàm de Remo, vt aiunt, & ROMULO mecum ſermones conferebat; nunquam de rebus noſtris, ſemper de Turcicis, Italicis, iis quæ nihil ad rem. Vulgo tamen credi volebat, noſtras confabulationes eſſe de rebus RHÆTICIS; ſed ſerij aliquid & arcani inter nos conſociari, cùm vna, & altera hora his congreſſibus abſumeretur. Hinc cuilibet conjectandum relinquebat, nos eſſe egregiè concordes; & quicquid ipſe moliretur, id, me non inſcio, ſed volente,
quamlibet

quamlibet conniuente, fieri. Quæ, quantumuis inania, apud multitudinem magnę rei momentum factura credidit.

Cùm interim legatus Venetus, qui in aula regis degeret, apud reginam matrem regis, quæ tunc regni gubernacula tractaret, idemtidem vrgeret, vt iuſſu regis Venetum negotium apud Rhætos promouere iuberet, ei reſponſum eſt, de eo quod ego Barbadigo obtuliſſem, regem nihil mutare. Credibile erat, hoc tanto beneficio Venetæ Reipub. abundè fore, quo contenta eſſet. Verùm is legatus, vt ſi id in leui à ſuis haberetur, non dubitauit ingeminare preces, quæ eò ſpectarent, vt non ſolùm conceſſu, & bona venia regis, ſed & impenſis eius precibus fœdus nouaretur. Tunc ei dictum fuit, regi quidem Venetæ Reipub. commoda, & incolumitatem curæ eſſe. Verumtamen eam nunc rem agi, quæ ad Gallici regni res rationeſ-

que vſque eò pertinet; vt in ea nihil temerè mutari ſine regis prçiudicio poſſit. Idcirco conſideratè diſpiciendum quid vtriſque expediat. Optimum fore, ſi de hoc negotio tractatio inſtituatur, cui legatus regis apud Rhętos interſit. Vbi res enucleata, & penſitata fuerit, tunc planum, & perſpicuum regi fore, qua re Venetæ Reipub. commodare poſſit. Quicquid concedi poteſt, ab ipſo nunquam deſideratum iri. Ad ea legatus, Senatus, inquit, Venetus ea mente agit, vt, ſiquid eſt in illo fœdere quod regis, & regni Gallici rationibus officiat, id vti mutetur. De ipſo tunc quæſitum eſt, Quid illud tanti ſit, quod Venetum principem ad fœdus tam perſeueranter petendum impellat, cùm tranſitum, in quo eſt omne fœderis momentum, obtinere poſſit. Hîc verò, ſicuti percul ſus, Commercij, reſpondit, gratia. Cùm tamen inter vtramque gentem Rhæticam & Venetam vix vllius rei conſtet eſſe

commercium; ea ſi excipias, quæ Venetæ ditionis negotiatores in Valtellina ſingulis annis empta ad ſuos conuectant. Cuius generis eſt vinum, butyrum, caſeus, pecus, & alia, quibus abundat vallis nobiliſſimæ fertilitatis. Cùm tamen Rhęticæ ditionis incolis nihil è Veneta regione ad ſuos exportare liceat, niſi fortè, & quidem perrarò, multaque difficultate, nonnihil frumenti. Hæc in aula.

At in Rhætia Barbadigus per omnes communitates diſpergit, me ſibi obtuliſſe Alpium tranſitum, de quo ſic agam, vt ſi ea res ſit iuris & arbitrij noſtri. Verùm tanti apud ſe communitates eſſe, vt hoc beneficio iis vnis deuinciri, quorum res eſt, velit. In maximo regis beneficio calumniæ materiam repêrit. Et cui nullę eſſent ſat gratæ gratiæ, quas ob tantam benignitatem regi ageret, pro iis nos audaciæ & ſtultitiæ accuſauit. Nam quid aliud eſſe dicas, aliena largiri? Hoc pacto

apud prudentes homines facilè aſſequutus eſt, vt, quam nobis obiecit, eius ipſe ſiniſteritatis manifeſtus fuerit, qui regis tam benefici bonitatem verterit in contumeliam eius. E ſequentibus liquidiùs apparebit, quas ibi tunc artes exercuerit. Cuidam Rhæto inter familiares adſcito id negoiij dat, vt agreſtes homines, qui ad vrbem ſui quiſque negotij gratia ventitarent, quamlibet nunquam viſos & auditos, comiter appellet, & modò hos, modò illos ad ſuas ædes adductos, dein menſæ, & cibis, qui ibi ſemper eſſent parati, & expoſiti, adhibitos, tum pluſculo vino hilaratos, ſæpiuſque madidos cechino, aut eius nummi medietate donet. Et verò plerique hoc pacto ebriulati, ſaturati, ac donati domum remittebantur, vbi cantu & clamore Veneti legati comitatem celebrarent. Huic vinolentæ turbæ indebantur, & ingerebantur ea, quæ is ab ſe ad hunc, aut illum pagum

perferri vellet, hoc potiſſimùm, Venetum fœdus renouare ne dubitarent, cùm rex, & Veneta Reſpub. concorditer inter ſe congruant. Regi quidem nihil gratius fore, quàm ſi quamprimùm cognoſcat, id fœdus intuitu ſui redintegratum eſſe. Legatum Venetum, qui eſt in aula regis, Veneto principi ſcripſiſſe, regem erga Venetos ita eſſe animatum, vt à Rhętis cis paucos dies petiturus ſit, Venetum fœdus vt inſtaurent. Nulli dubium eſſe debere quin legatus regis iubeatur ad id negotij quamprimùm vineas, pluteoſque, quod dicitur, agere. Cùm à quamplurimis hæc ad me in ſingulas propemodum horas deferrentur, inania inanibus eludere poteram, & cum eo paria facere. Sed iis, qui talia ad me perferrent, omnibus reſpondi, Studioſè, & ſanctè regem regni Galliæ veteres, & recentes amicitias colere. Id ipſum à rei ſuę curatoribus, vbicunque ſint, omni quacunque re & ra-

tione poſſunt, planum fieri velle. Me quidem ſemper eniſurum, vt hanc regis mentem tam probam in iis, quæ meæ curæ credita ſunt, dictis, factiſque teſtatam faciam. Verùm de his Rhæticis rebus nihil eius eſſe quod iſte ſic dicat. Ad eum quippe redeo, qui quoſcunque alloqueretur, apud hos tetram quamdam loquendi licentiam in nos exercebat, dum diceret, nos non impleſſe id, quod Venetæ Reipub. polliciti eſſemus. Enimuero ad tantum probrum erectus rem non vltra diſtuli; quin protinus illud dictum coram ipſo confutatum iui. Eius conueniendi occaſionem mihi prębuerunt eæ, quas pridie acceperam, regiæ literæ, quibus illa, quæ de futura tractatione paulò ante dixi, cognoueram. Id vbi ei narraſſem, hæc illico in os homini dixi, Ita lepidum tibi viſum eſt, vulgare, legatum regis, qui eſt Venetiis, Veneto principi pollicitum eſſe quidpiam, cui à nobis

ſatisfactum non ſit. Equidem peruelim ſcire, quodnam fuerit illud promiſſum, an ea oratione, quam ipſe in eum conſeſſum attulerit, ſpontaneis, inquam, & meditatis verbis, an alicui percontationi reſpondendo factum? Poſtquam paulùm hæſitauit, tergiuerſari voluit. Sed nequicquam. Nam hominem vrſi, & nihil remiſi, donec id quod eſſet, effaretur; reſpondendo; cùm ſcilicet, legatus rogatus fuit, vt in regis notitiam perferret, quantopere Veneta Reſpublica eum in hoc Rhætico negotio auxiliatorem experiri cuperet. Hæc tunc, inquit, fuerunt verba legati, Sibi non eſſe dubium, quin id quod petitur, rex Venetæ Reipub. præſtaturus ſit. Verùm in ſcripto fœdere eſſe nonnulla, quæ Gallico fœderi derogant. Reſponſum, inquit, ei eſt, de emendatione articulorum fœderis Venetum ſenatum conſentire. Nulla enim re regiis rationibus derogatum velle. Ibi ego,

Non ergo regis promiſſum; ſed quædem inter loquendum legati verba iacta memoras. Ea verba nunc in triuiis dicuntur eſſe promiſſa regis. Sanè, ſiquid legatus nomine regis diſertim promiſiſſet, id faterer ita accipi oportere, vt ſi ſit promiſſum regis. Sed è tuis verbis ne vllum quidem legati promiſſum fuiſſe conſtat. Eſto, regius legatus fœdus reformari oportere dixerit, vt regi, ſcilicet abundè cautum ſit. Num eâdem fœdus vti nouetur, ſe effecturum, aut regem id iuſſurum dixit? Videte, ne iniurioſiùs, quàm ingenioſiùs ea verba detorta trahatis ad eam ſententiam, quæ nunquã noſtra fuit. Nempe vobis illa mẽtio reformãdi fœderis eſt admiſſio eius, quod quamlibet reformatum, manſurum tamen ſit. Ergo dummodo per vos liceat reformare fœdus, illud vobis à rege promiſſum dicitis? At etiam propemodum è ſtipulatu nobiſcum, ac velut ad iu-

dicem agitis. Hîc hæſit, & erubuit. Enimuero eum ſcire volui, quot, quantaq; mala hæc ipſius ratio tam præpoſtera excitare poſſet, dum ea multitudini induntur, quæ regem, regioſq; miniſtros immeritiſſimò diffamant. Satis habui, hominem veritatis, & euidentiſſimæ ſuorum calumniæ adgnitione percitum eò redegiſſe vnde euadere non poſſet.

Eodem tempore aliquot viri boni eum ſeriò monuerunt, ſi quid de fœdere inciperet, id irrita ſpe agitari. Inde ſolùm Rhæticam rem rurſus datum iri præcipitem in id genus calamitatum, in quas à ſolo Veneto fœdere proiecta fuit, quę nec Venetæ reipub. nec cuiuſquam vtilitatibus, aut famæ conducant. Sed & animum, & aures hiſce monitis obturauerat. Nec potuit coërcere illam indomitam libidinem, qua ſuccenſus præceps ferebatur ad ea explenda quæ deſtinaſſet. Res docuit, ei & deſtinatum, & obſtinatum fuiſ-

ſe, ſi non aliud poſſet, Rhætos diducere in factiones, e quibus Veneta præpolleret. Sic ſciſſam gentem, & metu extremorum malorum conterritam ad Venetum fœdus renouandum, vt ad tutiſſimam ſtationem, vel inuitam adigere. Hoc ex eo ſciri potuit, quòd in ipſos regis beneficiarios infimam plebem, quod in ſe fuit, velut immanes feras immittere voluit; vt, ſi noſtro fœderi hoc ſemel adminiculum ſubtraheret, totum porrò, vt ipſe exiſtimabat, titubaret. Secretarium legationis tunc Tigurum tertiò miſit, qui pergeret explorare, an illuc quoque Venetum fœdus induci poſſet; vt ea ratione Rhętos non ſolùm admonitos, ſed & perterrefactos ſententiam mutare cogeret. Verùm is ſecretarius à ſingulis conſulibus ſeparatim admonitus fuit, ne quid tale cœptando niteretur in ſuperuacuum. Nuper enim cum rege Chriſtianiſſimo initum fœdus eſſe, quod Reip. Tigurinæ abundè

ſit. Cæterùm Tigurinos qua re poterunt, Venetæ Reipublicæ ſemper eſſe commodaturos. Ad id verbi ſecretarius arrectus ſibi paucis multa promitti credidit. Ipſe poſtea Barbadigus accuratiorem, & vberiorem eius vocis interpretationem exquirens, voluit ſibi dici, quonam illud dictum pertineret, & quid ſit illud, quo Tigurina Reſpublica Venetæ commodare poteſt. Scilicet, is ęquum cenſuit, verba honeſtatis, contra ſententiam, & axiomata Iurisperitorum eos obligare à quibus prolata eſſent. Ab eodem illo ſecretario, aliiſque Barbadigi aſſeclis per Heluetiam multa in nos contumeliosè deblaterata ſunt, quæ eò pertinebant, vt monſtraremur, ſicuti hoſtes, & euerſores rerumpublicarum. Verùm Heluetij, quorum cum Gallica gente peruetus conſuetudo eſt, ſtatim intellexerunt, quàm inſigni contumelia in nos talia confingerentur. Paulò poſt non neſciuerunt quantam rem

Barbadigo obtuliſſem, quam rex poſtea ſanxiſſet. Intellexerunt, quàm non è re Veneta is, tanto beneficio poſthabito, aliis rebus animum intendiſſet, quę non modò eſſent extra rem, verùm etiam ad eorum perniciem pertinerent, quibus ipſe inaudita importunitate negotium faceſſeret. Tot ergo laudibus Heluetij vberrima regis in Rhæticam gentem beneficia, & crebra regiorum miniſtrorum erga eam officia tunc extulerunt, quot diris illam tantam inuerecundiam optimus quiſque inſectatus eſt. Iam iis gentibus illud nomen, vt indubitata quædam Rhæticæ calamitatis ſignificatio pernimiùm innotuerat. Sanè Curiæ in pittago de illo eiiciendo plurima mentio facta. Sed prudentiorum ſecta ſemper verendum eſſe dixit, ne dum illo digna decernuntur, ius gentium violetur. Etſi rem introſpicientibus is dictus eſt eſſe homo priuatus, nec vllo publico iure tutus, qui nullas eorum

literas exhibuiſſet, quorum honori detur, vt talia impune admittat. Ipſe quoque cùm meritò inciperet metuere, ne quod operoſè quærebat, citiùs quàm vellet, reperiret, quicquid ibi decerni de ſe poſſet prçuenire ſtatuit ea oratione, quam habuit in pittagô. Nam denique ſibi ſenatum dari petiit; tunc, ſcilicet, cùm nuntij communitatum Curiam frequentes cõueniſſent, & quidem ſuper hoc negotio tam odioſo. Maxima tunc, & anxia cunctorum expectatio fuit, decretum ſenatus quale futurum eſſet. Inductus in pittagum dixit, ſe à Veneta Repub. mitti in Angliam ad munus legationis ordinariç. Cùm dediſſet ſe in viam, ſibi per literas à Veneto principe iniunctũ vt vſpiam conſiſteret, ibique noua mandata expectaret. Se elegiſſe vrbem Curiam, quam huic ſuæ commorationi peridoneam duceret. Inter hæc, cùm ſenatum haberi reſciſſet, ſibi faciendum exiſtimaſſe, vt de Vene-

ti ſenatus erga Rhæticam gentem animi propenſione eum conſeſſum certiorem faceret; præſertim cùm non dubitet, Rhætos erga Venetam Rempub. ſimiliter eſſe animatos; idque ipſos, quotieſcunque res poſcet, palam eſſe facturos. Enimuero ad eam animi inductionem à vicinia vtramque gentem efficaciter inuitari, quæ vtroſque moneat, vt cum vicinis bene agant. Accedere ipſam rem, quæ diſertim loquatur, liberam gentem firmiori vinculo cum Rebuſpublicis, quàm cum regibus & principibus adſtringi. Is, qui ei tunc interpres fuit, ex illis primoribus vnus addidit, ipſum Barbadigum rogare pittagum, vt in fidem, tutelamque publicam recipiatur. Nam ſi ei quidpiam aduerſi, inquit, acciderit, quantum Rhætorum nunc ſunt in ditione Veneta, iidem caſus, iidemq; exitus manent. Hinc perſpectum, eas non fuiſſe preces, ſed comminationem, cui nulla pręcedens iniuria, ſed

conſcientiæ labes cauſam daret. His dictis, pittago exceſſit, in quo omnibus perſuaſum fuit, huic homini decretum fuiſſe, Curiæ diutiùs commorari, & ibi rerum nouarum tantum moliri, quãtum ſatis eſſet ad Rhætos in vltionem finiti fœderis inter ſe cõmittendos. Sed quos fatuos putauit, aut ſtertentes, rerum ſuarum callidos, & ad ſibi præcauendum tunc quidem experrectos expertus eſt. Decretum quippe ſenatus ſequutum eſt his verbis, Super iis, quę propoſita ſunt à D. Barbadigo legato Veneto Senatus decreuit, vt ei gratię agantur quòd officiosè Rempub. ſalutauit, eique bonæ viciniæ officia obtulit. Dicatur ei, nos paria facturos, ſanè ea omnia, quę bonos vicinos facere æquum eſt, & quidem imitatione priorum noſtrorum. Verùm cùm agitentur continua conuiuia, & ad hos & illos pecunia mittatur, idque agi conſtet, vt fœdus inſtauretur, Senatus decreuit vt eidem Bar-

badigo ſignificetur, hæc neutiquam cohærere cum iis quæ dixit. Quocirca moneatur ne tale quidpiam vltra audeat, tentetue. Ne ſi quid ipſi grauius propterea contigerit, id quod factum nolimus, eius rei omnis in ipſo culpa reſideat. Ipſi in memoriam redigatur, fœdus eſſe finitum. Ac nihilominus nos eſſe ea mente, vt bonorum vicinorum vicem pręſtemus. Id quod cùm antea ſereniſſimæ Reipub: ſignificatum fuerit, ab ipſa ſcripto pariter reſponſum accepimus, quo ſibi à nobis noſtrorum officiorum teſtificatione ſatisfactum eſſe palam fecit. Res in eo ſtatu, quo ſunt, relinquat. Neque hiſce ſuis machinationibus nos ad ciuilem diſſenſionem impellat. Dat. Curiæ die viceſima prima Ianuarij Anno milleſimo, ſexcenteſimo decimo quarto. Iuſſu ſenatus, Triumuiris præſentibus, id quod nunquam factum, hoc ei decretum ſignificatum fuit. Singulis Triumuiris additus eſt vnus eorum

MDCXIV

rum

rum nuntiorum, è quibus pittagum conſtitiſſet, quò res teſtatior eſſet. Decreto recitato, notabiliter expalluit: Nec tamen temperauit, quin ei è Triũuiris, qui illud decretum Germanicè ſcriptum Italicè inibi interpretatus eſſet, ironicè interminaretur, id quod Latinè hoc ſonat, Eius beneuolentiæ ratio habebitur, quam in tam accurata interpretatione tu quidem prompſiſti. Hęc fuit Veneti fœderis tertia reſciſſio, quam rerum Venetarum in Rhętia curatores infinito ſumptu, eamque gentem multis miſeriis conflictando adepti ſunt. Barbadigus, hoc reſponſo accepto, in Heluetiam profectus eſt, certá ſpe fœderis cum Tigurinis, & Bernenſibus paciſcendi. Sibi ipſe, nimirum, perſuaſerat, Helueticũ fœdus Rhętis fore quemdam veluti ſtimulum neceſſitatis, quo ad Venetum fœdus amplectendum denique adigegerentur. Priuſquàm daret ſe itineri, venit ad me. Ac ne tunc quidem mihi

de his Rhæticis rebus vllum verbum fecit. Non ſimiliter à me tacito diſceſſit. Extemplo grauiter cum ipſo expoſtulaui, quòd tam iniurioſè, ne, dicam inimicè, in iis verſatus eſſet, quæ regem ſpectant. Vndecimus, inquam, inſtat annus, ex quo quidam, qui ſe Venetæ reipub. miniſtros ferrent, huc irrepſerunt, vt, inſcio rege, & regis legato, cum hac gente fœdus paciſcerentur. His deſtinatis ex animi ſententia perficiendis, regiæ maieſtati miris artibus ſubtraxerunt ſtudia plurimorum, qui acceptam à maioribus diſciplinam vnicè colendi reges Chriſtianiſſimos intemeratam ad eam diem cuſtodierant, donec tam egregia animi inductio à veſtris labefactata eſt. Hinc orta, & conflata factio, quæ iiſdem artibus ſenſim inualuit. Ad hæc ſtruenda regis nomen & autoritas falſò adhibita. Sanè ſi ad eũ ea res, prout veteris amicitiæ iura poſtulabant, priùs delata fuiſſet, neque quicquam in eo

negotio, niſi bona eius gratia tentatum eſſet, hîc quidem Veneta Reſpublica rem ſuam conſtabiliſſet, & regio fœderi derogatum eſſe nulla nobis querendi occaſio præbita eſſet. Nec item vos factum velare, interpretando excuſare, vexare vos & alios nunc neceſſe haberetis. Tum ſua quies huic genti immota manſiſſet. Verùm quo pacto ij qui hoc negotium conficiendum ſuſceperant; in eo verſati ſint, Gallicæ, Venetæ, Rhæticæ rationes, quod huc pertinet, toties ac tam vehementer conturbatæ palam faciunt. Et Rhætos quidem veſtrum hoc fœdus apud Hiſpanos in tantam inuidiam adduxit, vt de fœdere cum ipſis non tantùm minaciter, ſed, arce condita, iniurioſè, & violenter egerint. Atque adeò quoties de ea arce diruenda actum eſt, nam rex amicam, & fœderatam gentem tam graui onere alleuari vehementer cupiebat; & in eam rem incumbens veſtros

ad præclari operis ſocietatem inuitabat, tunc verò ipſi Italicæ quietis non turbandæ accerſito prætextu, totam rem aſpernati ſunt. At etiam cùm de Valtellina aduerſus euidens periculum præſidio firmanda ab conſilio ſecreto actum eſt, non ante quicquam, quod vllius operæ pretium eſſet, inde extundi potuit, quàm veſtris rex munificentiſſimus ſua benignitate præiſſet. Hinc illæ populorum iræ, & ſeditiones, quibus Rhætica res quaſſata, & prope diſiecta eſt. Quis eam hoc tanto periculo ereptam retraxit in tutum, niſi vnus rex? Annon potiùs, tali Rhæticarum rerum ſtatu, ij qui hîc rem Venetam curabant, ſeorſim à nobis omnia ſenſerunt? Annon ſciri voluerunt, nobis, & ſibi nullam eſſe eorum conſiliorum ſocietatem, quæ ſola ad horum fœderatorum indemnitatem prꝫſtandam pertinerent? Tu ipſe illorum veſtigiis inſiſtens huc veniſti, vt paucula pecunia per multæ

ſpeciem diſpergenda, & ſpecioſis, promiſſis, & fingendis rumoribus hanc gentem nobis ſubtractam traheres ad veſtras partes, reſque noſtras hîc quidem quà poſſes, labefactares. Ecquas machinas non mouiſti, vt regiæ maieſtatis cultores ab antiquo cultu auocares? Rhæticam multitudinem in regis beneficiarios immitteres? vniuerſos in ſui excidium impelleres? Annon Rhætis perſuadere voluiſti, exſtare promiſſum, quo ſe rex ad rogandam veſtri fœderis renouationem adſtrinxit? Exin id promiſſi deriuaſti in perſonam legati regij, cùm tamen à neutro vobis quicquam promiſſum fuiſſe, tu ipſe fateri neceſſe habueris. Hoc cùm Rhętis, vt rex calumniæ eriperetur, aperiri neceſſe fuerit, repente exclamare occœpiſtis, indignam rem eſſe, ſic à nobis Venetę Reipublicę rationibus obſiſti. Eâdem is, qui aduerſario ſcu-

tum opponit, iniurius dicatur, quòd ei iugulum non præbuit. Annon propalam dixiſti, Si eius regij promiſſi effectus non appareat, ſibi Venetos perſonam detracturos? Quid, ea detracta, peius facere poteſtis, quàm ea quę facitis? Annon apertæ malignitatis illud eſt quod tui diſſipant, Studia Rhætorum nequaquam vobis deeſſe, atque adeò regem hoc veſtrum fœdus renouari cupere. Sed me vnum eſſe vobis obſtaculum oppoſitum. Hoc pacto aut regem animo imbecillo fingitis, qui me ad ſua iuſſa redigere non poſſit. Aut me prauiſſimo hominem ingenio dicitis, qui voluntati, iuſſiſque regis domini mei obniti audeam. At tute tibi ad hæc omnia è poſtremò, & recente huius gentis decreto reſponſum ſume. Niſi mauis ſciſcitari famam, & inde cætera coniicere. Tiguri, & in aliis Heluetiæ locis de nobis, &

rebus Rhæticis quicquid ſibi collibitum fuit, diſſeminarunt, omnia contra fidem. In primis illud inſigne beneficium, quod tibi nomine regis obtuli, ſilentio tramiſſum. Id quod Heluetiis permirum accidiſſe, ij memorant, qui inde huc veniunt. Hîc, hîc tuos oportuit eſſe dicaces; tantique regis benignitatem palàm prædicantes eorum, per quos tranſirent, aures implere laudibus eius, non vbicunque eſſent, malignis, & mendacibus ſermonibus meliores violatum ire. Illud quoque dicere non dubitarunt, Eam tranſitus facultatem à me tibi oblatam fuiſſe, quòd metuerem, ne ſine vlla ope noſtra de fœdere rem conficeres. Hîc verò, quid ego tibi multa dicam? Rem tibi autorem habe; & inde abundè cognoſce quid abſque ope noſtra conficere poſſis. Si lubet, perge quà cœpiſti. Quò magis procedes, hoc tibi

liquidiùs conſtabit, mihi tunc nullam fuiſſe, ac ne nunc quidem vllam cauſam eſſe metuendi iſta veſtra ſonora magis quàm metuenda. Mirum certè fuit, illum hæc omnia auditu tam aſpera tamdiu attentum, ac tacitum auſcultaſſe, nec ad vllam earum rerum reſpondiſſe, ad quas, ſi veræ non eſſent, exarſiſſe debuit. Verùm ita eſt, Cui conſcientia defenſionem denegat, ſilentium imperat. Tantùm dixit, fieri poſſe, vt multa mihi dicta fuerint, quæ non ſint vera. Qui eſt receptus illorum, qui è laqueis veritatis excuſatè elabi ſtudent. Dixit quoque, ſe nondum Rhætos rogaſſe fœdus; hoc innuens, ſi petiiſſet, obtineri potuiſſe, & adhuc poſſe. Senatus Venetus, inquit, lenta, & cauta conſilia ſubitis antehabet. Nihil quidem acturus eſt, quod regi diſpliciturum ſit, cui ſuam ſingularem obſeruantiam cupit eſſe perſpectam. Iam tempus, inquam,

eſſet, veterem iſtam, ac tritam orationem mutatione mentis, & conſilij comprobari. Poſtridie Curia diſcedens ſuas ædes ita inſtructas reliquit, vt citò redeundi animum hinc proderet.

Tranſactis paucis diebus, iuſſus ſum petere à Rhętis eam delectus partem, quam ea gens Helueticis militibus adiungere ſolet, quoties regi ex fœdere ſcribuntur ſex millia militum. Eum delectum Rhæti impigrè habuerunt.

Eodem anno noua de cauſa iuxta ſeditionem ventum. Sanè maiori metu Rhætiam conterritam, quàm motu concuſſam conſtitit. Eius nouitatis initium fuit in pago Cicereio. Inde tranſiit in Trimontanum. Proteſtantes in vtroque pago eccleſias ritibus catholicis antiquitus deſtinatas ſibi concedi licentiùs flagitabant. Catholici reſpondebant, ea templa à maioribus idcirco fuiſſe condita, vt in iis catholici ritus celebrentur. Anteactis quidem temporibus vſque ad eum diem nullum

alium Dei cultum eò inductum fuiſſe, extra eum, qui apud catholicos in vſu eſt. Hoc ius vetuſtate corroboratum ſibi adimi non paſſuros. Si ſibi vis fiat, ſe verò iuſta iniuſtam repreſſuros. Cõtra, proteſtantes dicere, vtriſque communes eſſe maiores, qui ſibi, & poſteris illa templa ædificauerint ad vota nuncupanda, non diſtincto, quo ritu. Sibi quidem non eſſe eam mentem, vt iis templis catholicos arceant. Verùm nec æquum eſſe, ſe, eorumdem maiorum, poſteros inde excludi. Omnes pariter, ſicut eiuſdem iuris conſortes iiſdem templis vti oportere, haud minùs quàm eodem foro, aliiſque locis, quæ ibi ſunt publici iuris. Vicibus tamen, ac temporibus diſcriminatis, ne alij aliis impedimento ſint. Eodem iure nixi partem reddituum eccleſiæ æquum cenſent cedere pro mercede miniſtris debita, qui ſibi ſint idipſum quod preſbyteri catholicis. Sanè eccleſiaſticis hominibus ea bona le-

gata fuiſſe dicunt, qui ſibi non ſint preſbyteri, ſed miniſtri. Catholici neutrum fieri poſſe firmant. Nam quibus maiores dicant eſſe eoſdem, his hodierno die eſſe diuerſa ſacra, quæ priſcum illud ius mutent. Cæterùm ſi huic nouitati locus ſit, & fraudem, & vim fieri iis, quæ teſtatores iuſſerint. Hos enim conſtat, non alios ibi ritus, quàm vſitatos, & catholicos induci voluiſſe. Qui ergo, veteribus damnatis, nouos accerſunt, hi noua ſibi templa, proprioſque miniſtrorum alimentis redditus ſtatuant. Catholicis templis, ac redditibus abſtineant. Cùm hęc iurgia in dies gliſcerent, occaſionę Trimontanæ eccleſiæ prope ventum ad manus eſt. Sed cùm proteſtantes, illuc adducto ſecum, & inducto, catholicis nec opinantibus, miniſtro, paratiores veniſſent, hæc in pago Trimontio catholicis paganis quieſcendi cauſa fuit. Qui interim, vt qui numero ſuperētur, ſibi vim fieri apud ſuos gra-

uiter queruntur. Et verò proteſtantes tunc quidem catholicos vt ſibi viribus impares, magis, magiſque deſpectabant. Iam ſeditio, iam omnis peſtis erumpebat, cùm, quibuſdam viris bonis adhibitis, cogitare cœpi, qua ratione naſcens hoc malum proteri poſſet. Et iam ad hos rumores nonnulli Curiam conuenerant. Hos conſecuti ſunt alij, qui in vtraque parte anteſignani dicerentur. Vt adfuerunt, ægrè ab eis impetraui, vt concordiam litibus anteponerent, & pacem quàm turbas mallent. Pactionibus rem tranſigi poſſe dixi, ſi, vt inter conſanguineos populos fieri par eſt, res tractationi mandetur. Hanc rationem ſi ſequantur, multo ſanguini parcitum iri. Verùm ea tunc erat inflexibilis quędam vtriuſque partis, & peruicax indignatio, vt iræ, minæ, queſtus acerrimi tractationi, & quietis colloquiis intercederent. Catholici audentiùs agebant, vt iure ſuperiores. Proteſtantes ferociùs vt vi-

ribus potiores. Denique cùm inter hos & illos medius vtroſque modeſtiæ admonerem, & omnibus idemtidem ſubiicerem, quanti apud ipſos publica, & priuata ſalus eſſe deberet; iamque illa vtriuſque partis ferocia per quædam interualla detumeſceret, tenui vt in ædes publicas vtrique conuenirent. Ibi articulis ordine ſcribendis ab omnibus pariter opera data. Deinde ſingulis articulis diligenter perpẽſis, quid quiſque ſuper ſingulis dicendum haberet, quieti, & attenti viciſſim prompſerunt, & audierunt. Poſt hæc exordia me impenſè rogarunt, vt ea tractatio domi meę, meque præſente, & arbitro, optato aliquo fine terminari poſſet. Annui. Nec ipſis meas ædes tantùm ad opus tam ſalutare vt paterent, conceſſi, ſed & me ipſum ei tractationi aſſiduum præbui. In primis, omnes monere non deſtiti, vt, poſitis ſimultatibus, in medium conſulerent. Publicam incolumitatem omnes ſibi

aſpectandam ducerent. Hanc fruſtra alibi quæri, quàm in concordia eorum, qui ſunt ciues vnius ciuitatis. Me ergo præſente, acribus vtrinquè ſtudiis res eſt agitari cœpta. Interdum cõſidebant. Pars quandoque in aliud triclinium ſecedebat. Ibi ſeorſim à cęteris conſultabant. Vbi res poſtularet, coibant, & capita conferebant. Vbi vbi eſſent, eis arbiter, &, ſiquid pertinacioris diſſidij inter homines ſententiis tam diſcrepantes oriretur, conciliator, & moderator aderam. Cùm de aliquot articulis iam conſenſiſſent, ad alios ſimili ratione tractandos accedebant. Ad poſtremum, de omnibus ita conuenerunt, vt neutris vlla diſcordiæ materia relicta fuerit. Pacta & conuenta in codicillos redacta, & vtrinque conſignata fuerunt. His tam periculoſis certaminibus tandem ſedatis, omnes ad ſua remearunt. Vniuerſa gens tanti muneris autori Deo gratias egit.

In aula regis Venetus legatus acriùs inſtabat, vt Veneti fœderiscapita adnotarentur, ea quę Gallico fœderi repugnare dicerentur, nimirum, vt communi conſilio reformari poſſent. Re ab regina ad regis conſilium reiecta, magis ex dignitate viſum, priuſquam id fœdus articulatim diſquireretur, ex eo legato elici, quinam eſſet ſenſus Veneti principis ſuper iis, quæ in hoc negotio attendi potiſſimùm, & expendi oportet. Eæ ſunt primariæ cauſæ, quibus adnexæ ſunt illæ, propter quas vtrique fœderi ſine euidenti alterius fœderati detrimento locus eſſe non poteſt. Verùm is ad hæc nihil reſpondit. Hæc ego etſi idoneis locis diſperſim memoraui, hîc tamen ſtrictim repetere, & ſub vno aſpectu ponere, me nonnullum operæ pretium facturum puto. Vulgo quidem hæc iactabantur, vetuſtam regum Chriſtianiſſimorum, & Venetæ Reipub. amicitiam deſideraſſe, vt nulla gens regibus

antiquitus fœderata non dico impelleretur, ſed ne inuitaretur quidem ad ſe cuipiam vllo fœdere adſtringendam, niſi ipſo; non dico non neſcio, ſed rem deſiderante rege. Quippe vix fieri poſſe vt non nouo fœdere nonnulla continerentur, quæ regis rationes vehementer obſcurent, & minuãt. Fac hoc non eſſe. Solo fœdere quomodocunque ictum, ſcriptumque ſit, antiquiori fœderi tantum derogari conſtat, quantum nemo amico detractum velit. Niſi, ſi dicere libet, hodie inter amica imperia pudorem, & reſpectum eſſe vocabula demonſtrantia virtutem plerumque compendiis inimicam, prorſuſque inutilem. Certè cùm centum abhinc annis reges Galliæ flagrantibus gentis Rhætiæ ſtudiis culti fuerint, hoc Veneto fœdere perfectum eſt, vt pars eius gentis, veluti à cætero corpore abſciſſa, regi ſit adempta. Quæ Rhætis ſit perennis, & creberrima ciuilis diſſenſionis materia. Hinc regi ſuum fœdus non

dus non ſolùm inutile, & ſuperuacaneum redditum eſſe, ſed damnoſum, ac diſpendioſum. Non eſſe facinus hominis amici amico ſcientem incommodare. Et quod ad Rhætos attinet, ab vno duobus operam dari non poſſe; vel eo optimo maximo locupletiſſimo teſte, cuius hoc dictum eſt. Etſi enim is addidit dominis, ea tamen ſingularitas non minùs eſt amicorum, quàm dominorum propria, cùm multò minus ſit amicorum, quàm dominorum. Eſto, ſi huius tantùm reſpectus nulla habita ratio eſt. Dicebatur, regis nec moniti, nec auditi nomen & autoritatem ab eius fœderis conditoribus falſò apud communitates vſurpatam, quę ſine accerſita hac regij nominis, & autoritatis mentione, ne auribus quidem illud admiſſurę fuerint. Ergo nihil miri eſſe, ſi fœdus his auſpiciis inchoatum, pactum & ictum exin ei genti ſemper ferale fuit. Ne quis dubitet, vix eſſe, vt non mala

Digitized by Google

principia infelici exitu terminentur. Certe antè illud fœdus nullam Rhęticę genti cum vicinis tam periculoſę controuerſiæ occaſionem vnquam fuiſſe. Vnà cum fœdere emerſit arx Mótecchij, & illa ſoror arcis Mediolanenſis tractatio, ingentium malorum ſcaturigo. Quæ ſi vera ſunt, annon palam eſt, huius fœderis nouatione in eumdem lapidem impingi? Hęc quoque fuerunt illa ipſa, quę conſilium regis Veneti ſenatus prudentiæ tunc quidem ſe dixit expendenda relinquere, antequam Veneti fœderis capita ſingillatim excuterētur. Omne hoc negotium tunc Veneto legato creditum, vt id Veneto ſenatui pro ſua fide referret. Neque verò exiſtimatum eſt, tali re, ſtricto iure agendum cum iis, apud quos & pudorem plurimùm poſſe, & ipſos regiæ moderationis imitatores fore credibile erat. Cęterùm quòd in ſcripto fœdere Veneto nihil tunc quidem, propter ea, quæ dixi, excuſſum

fuit, id nunc mihi faciendum duco. Eius ergo fœderis capita carptim perſequar. Et in iis ea ſignabo, quibus ſi locus eſſe pergat, Gallicum fœdus eò redactum conſtat, vt pro ſuperuacaneo, & nullo ſit.

Primo fœderis capite mentio fit eius amicitiæ, qua vtraque gens Veneta & Rhętica vinciri debet. I

Altero Rhæti delectum ſuorum militum Venetis concedunt, ſummùm ad hominũ millia ſex, minimùm ad mille quingentos. Hæ copię Venetę Reipub. militabunt, nimirum in acie, & in cãpis patentibus; aut erunt in præſidiis. Obſeſſæ vrbis muros machinis decuſſos non ſuperuadent. Mare, niſi tranſitus gratia, non tramittent. Venetam Rempub. propugnabunt contra quoſcunque. Quę duo vltima verba ſunt illa ipſa, quæ Latinè fœderi ſunt inſerta; cùm reliqua omnia Italico ſermone ſint exarata. II

Tertio ſex mille milites rediguntur III

ad quatuor millia, quoties integrum delectum rex rogauerit. Ne proprio, inquiunt, milite Rhætica gens, cui incumbit cura tuendi ſuos limites, exhauriatur.

IIII Quarto continetur, qua ratione militare ſtipendium pendi debeat, & quicquid eò pertinet.

V Quinto mittendi milites ratio definitur. Tum dicitur, quæ eis, finita militia, pręmia futura ſint.

VI Sexto cautum eſt, ne militares copię diducantur.

VII Septimo Rhæticus miles Venetis pręfectis iubetur eſſe dicto audiens.

VIII Octauo dicitur, liciturum Rhætis ſuum militem domum reuocare, ſiquis ipſos aperto bello aggreſſus fuerit. Id quoties euenerit, Venetis eam pecuniam redditum iri, quam milites acceperint.

IX Nono ſtipendiorum modus continetur.

X Decimo conſulitur militibus infirmis.

Digitized by Google

Vndecimo expreſſum eſt, quid Venetis incumbat, ſi militi ſtipendium non ſolutum ſit. XI

Duodecimo dicitur, tribunos militares, quibus nomen eſt coronellis, ac præfectos cohortium, quos vocant capitaneos, oportere eſſe oriundos è Rhætia. Illos à Venetis, officiales à capitaneis electum & nominatum iri. XII

Decimo tertio dicitur, liberum fore inter vtramque gentem commercium. XIII

Decimo quarto dicitur, tranſitum copiarum militarium vtriuſque gentis, non diſtincto in qua gente ſint lectæ, per vtramque ditionem fore liberum; ſeruata, nimirum, ea tranſeundi ſpecie, quam ea Reſpublica præſcripſerit, cuius conceſſu tranſitus vſurpatur. XIIII

Decimo quinto ſtatuitur, vt vtriuſque Reipub. arma opponantur ei, quiſquis ille futurus eſt, qui illà tranſitum ſibi molietur, ſi alterutri XV

hoſtis fuerit. Aduerſus hunc vtraque coniunctis & animis, & viribus conſiſtat.

XVI Decimo ſexto Veneta Reſpublica Rhætis adeſſe, eiſque neceſſariam opem ferre tenetur aduerſus eum, qui eos aperto bello laceſſierit, dummodo Rhæti ſibi vt ſubueniatur, petant.

XVII Decimo ſeptimo Veneta Reſpublica Rhętis, quoad fœdus fuerit, pendere tenetur ſexcentos ſuper ter mille coronatos aureos annuos, & bellica tormenta, quos vocant moſchetos quinquaginta annuos.

XVIII Decimo octauo cuiuis Rhæto licet, vtrius religionis ſit, liberè commeare per ditionem Venetam, nullo nec metu, nec impedimento Inquiſitionis. Ita tamen, vt nec ſe loquendo, nec diſputando prodat. Nullum item librum, cuius lectione, & vſu interdictum ſit, circumferat; neque quicquam contra religionem catholicam admittat.

Decimonono cautum eſt, vt atrocium criminum reis neutrobi ſit aſylum, aut receptaculum. Quin tales inuicem tradantur. XIX

Viceſimo vtrinque libera tritici exportatio, & inuectio vſque ad certum modum permittitur, quamuis illud triticũ in extera ditione coemptum ſit. XX

Viceſimo primo ſali pretium ſtatuitur, ſiquod è Veneta ditione in Rhæticam vectari contigerit. XXI

Viceſimo ſecundo fœderi terminus definitur; deque eius continuatione agitur. XXII

Viceſimo tertio forma iudicij exprimitur, vbi quidpiam diſſidii inter vtramque Rempub. ortum fuerit. XXIII

Viceſimoquarto forma iudicij continetur, quoties quidpiam iurgij inter priuatos vtriuſque gentis homines extiterit. XXIV

Viceſimo quinto dicitur, eorum quæ hoc fœdere continentur, effectui nullo præcedente fœdere inter- XXV

Digitized by Google

ceſſum iri. Tum illud, Donec hoc fœdus manebit, neutri Reip. liciturum alij fœderari, & adſtringi iis pactionibus, quæ alteri detrimento eſſe poſſint.

XXVI Viceſimo ſexto Rhæti excipiunt omnia fœdera, pacta, & conuenta, pacem perpetuam, ac temporariam, quæ vſque ad eam diem fuerit. Iis hoc fœdere præiudicium fieri nolunt. Hæc acta ſunt Tauoſij die tertia Auguſti, Anno milleſimo, ſexcenteſimo tertio. Nos in hoc fœdere ea, quæ infra ſcripta ſunt, ſignamus.

II In altero huius fœderis capite duo aduertimus, quæ intendunt ſe in Gallicum fœdus aduerſaria. Si enim huic promiſſo Rhæti ſatisfecerint, ſimulque patriam neceſſario præſidio firmarint, vbi regi ſuus delectus futurus eſt? Nemo gnarus eius regionis inficias ibit, Rhætiæ aduerſus externam vim præſidio firmandæ

haud minus hominum ſex millibus relinqui oportere. His adde ſex millia, quę Venetis Rhæti ſe miſſuros pollicentur. Iam conficiuntur duodecim millia. Quis, præter hanc manum, delectus inde (Clauenam, Valtellinam, Bormium excipio) educi poteſt, niſi exiguus, & infirmus, certè is, qui in acie nihil momenti facturus ſit? Annon hoc ſolum fœderis caput manifeſtum facit, Veneti fœderis conditores Venetæ Reipub. nucleum ſepoſuiſſe, vt regi, aliiſque fœderatis putamina relinquerent? Sanè vniuerſi nominis Heluetici, quod & Rhæticum, & pleraſque alias ciuitates complectitur, maximus delectus, qui regi ex fœdere ſuppeditatur, eſt hominum ſexdecim millium. Et vna Rhætia Venetis mittet ſex hominum millia? Nimirum, rem omnem ad hos calculos vocamus, quos iamdiu ſubductos conſtat, Trium fœderum, quæ eſt vniuerſa Rhætia, eam rationem eſſe, quæ eſt trium pagorum

Helueticorum, non maximorum, & potentiſſimorum, non item minimorum, & infimorum, ſed mediocrium. Helueticis pagis adiice fœderatas, & pagis intermiſtas ciuitates, Vrſellas, Rapiſuillam, Sangalli abbatem, & vrbem, Valeſios, Milehuſam, Nouum caſtrum cum proximo Valengino, alios. Pone ſanè, horum omnium rationem eſſe eam, quę eſt quinque pagorum. Iam conficiuntur octodecim pagi. Quotam huius tanti corporis partem Rhætos eſſe dicas, niſi ſextam? At non tanquã à ſexta, ſed propemodum vt ſi Rhætia ſit altera pars totius nominis Heluetici, vni fœderatorum ſuorum pollicetur delectum ſex millium militum. Quàm æqua proportione, ſi Veneti fœderis conditores attendiſſent, nec ſe tam largiloquos, nec tam largificos eius quod præſtari non poteſt, præbuiſſent. Pro modo copiarum Rhæticarum ſuum militem fœderatis polliciti eſſent. Re omni parciùs

Digitized by Google

& veriùs ęſtimata, magnificis, & pompaticis promiſſis abſtinuiſſent; & fœdus bona fide fultum, non fucis oblitum pepigiſſent. Proinde nec nouos, nec antiquos fœderatos his artibus eluſiſſent. Quippe & Venetam Rempub. ſpecioſo, & fallaci promiſſo deluſam, & regis vetuſtum fœdus in hac parte conſtat eſſe conuulſum. At etiam, vt regiæ, & Helueticę amicitiæ aliquem reſpectum habuiſſe videantur, addunt III
mirificam tertio capiti æquitatem. Ibi enim illa ſex hominũ millia rediguntur ad quatuor quandocunq; rex integrũ delectum petierit. Ne, inquiunt, patria milite exhauriatur. Ridiculè, & nugatoriè. Quippe, delibatis in Rhætia, & pręceptis quatuor hominum millibus, non eos dico, qui per ætatem arma ferre poſſunt, ſed qui & animo, & viribus in acie aduerſus hoſtem conſiſtere audent, ſuper eos, quos patriæ præſidio relinqui neceſſe eſt, ecquod dicas eſſe in reliqua turba momentum? In illis

quidem quatuor millibus, & ſex millibus prę ſidiariis, aut paulò plus eo, verè dixeris eſſe omne robur Rhęticæ pubis. Huc accedit, quod ibi permulti, quamlibet validi, longinquæ militiæ muneribus fatigari nolunt, ſi non vberiori lucro à capitaneis prolectantur. Hinc frequentia illa è finitimis Germanis cohortium malè plenarum ſupplementa, quoties inde miles in Galliam mittitur. Quid, ſi omne nomen Helueticum, tum Bernenſes, & Valeſij ſeorſim à cæteris auxilia rogauerint? Nam vtraque Reſpub. eſt Rhętis ſingulari fœdere coniuncta, Quid tũc regi, Quid Venetis fortè vno, & eodem tempore idipſum rogantibus reliqui fiet, niſi ſegnis aliquis, imbellis & imbecillis numerus? Num vn[illegible] Rhætiam tot delectibus priùs exinanitã præſtandis promiſſis ſuffecturã putant? Alterum quod in illo ipſo articulo, ſeu capite deteſtabilius eſt, illis verbis continetur nominatim adiectis, cõtra quoſcunque. Etiam-

ne contra regem? Qui quoſcunque dicunt neminem excipiũt; omnes, quiqui illi ſint, hac dictione complectuntur. Horret animus hac ſola cogitatione, Gentem, quæ centum ab hinc annis Chriſtianiſſimis regibus continuo fœdere coniuncta fuerit, non ſolùm nullo tanti fœderati facto, de quo quiſquam queri poſſit, à tali amicitia abduci, verùm etiam obſtringi ad tantum amicum armis perſequendum. Scilicet hoc ibi dicitur, Si rex iraſcendi Venetis, aut alij alicui cauſas habuerit, hoſteſque ſuos bello perſequens hac ſuos exercitus in Italiam miſerit, tali re, non ſolùm non concedatur ei tranſitus, verùm etiam eum Rhęti arceant, & pro Venetis arma capiant, ſintque ad eò Venetę Reipub. ſatellites, eiuſque cateruas ſuppleant. Sanè quod olim accidit, rurſus euenire poſſe numquid miri eſſet? Carolo octauo, qui ius ſuũ in Italia perſequeretur, nunquam de Venetis malè merito inſidias Veneti,

concitis in ipſum Italiæ viribus, cùm in Galliam rediret, inſtruxerunt, in quas parum abfuit quin præcipitatus fuerit. Sed rex bellicoſus ſua, & ſuorum virtute, quamuis itineri veriùs quàm prælio paratus, iis fortiter ſe, & feliciter euoluit. Annon tunc regi ſatis cauſæ fuit, quapropter infenſis animis Venetos inſidiatores vltum iret? Redeo ad rem. Promiſſum tranſitus Gallico fœderi adſcriptum hoc capite eludi manifeſtum eſt; quicquid fremant illi talium nequitiarum architecti, quibus vnis rem huic ab ſe promiſſam, aut etiam venumdatam alij promittere, & venumdare licet.

XIIII Decimo quarto Alpiũ Rhæticarum tranſitus Venetis conceditur. Quid, ſi antea regi vſque eò promiſſus eſt, vt eadem facultate ſuos amicos, vti dictũ eſt, participare poſſit? Quid, ſi rex, aut ex regis amicis quiſpiam, & Reſpubl. Veneta, id quod euenire poteſt, inimicentur? Vtri ex fœdere Alpium

Rhęticarum clauſtra pandentur? Vtrum fœderatum Rhætica gens alteri præferet? An antiquum vicino? An vicinum longinquo? Ergo, tali re, ex ſuo quiſq; ingenio, aut prout huic, aut illi fauebit, fœdus interpretabitur? Tanti ergo erit, redintegrari ſeditiones, nimirum, vt liqueat, ecquæ fœderis conditoribus mens fuerit, his ad hunc, illis ad alium rem trahentibus? An potiùs hoc certamen ipſi fœderati in ipſis Alpium faucibus dirimere neceſſe habebunt, dum hi in Italiam, illi ex Italia huc tendent? An Rhætica auxilia contrarię tunc acies in vtraq; parte habituræ ſunt? Ibi ergo ſe inuicem conſanguinitates conficient?

At etiam decimo quinto capite continetur, vt vtraq; Reſpublica in quemlibet, qui per has Alpes id aget vt tranſeat, arma capiat. Quiſquis, inquiunt, alterutri hoſtis fuerit, eum à tranſitu ſuis quæque viribus arceat. Si vetuſtioris fœderati iſti aliquam rationem ha- XV

buiſſent, annon ſingularem eius exceptionem hoc capite complexi eſſent? Certè hoc pacto liquido ſciri poterat, quem eſſe cum aliis promiſcuũ, quem item exceptũ vellent. Vbi eſt ſermo ille antiquus antiquę ſimplicitatis index? Nimirum, vnà cum veritate, & ſimplicitate exactum apparet. Hodiernus quidem, cuiuſmodi iſtorum eſt, quantum eſt callidarum, & perplexarum interpretationum admittit. Ac proinde iurgiorum ſator eſt. Ne multa; Qua mente iſti illud fœdus ſcripſerint, non poterant euidentiùs declarare, quàm quibus verbis ſe hîc oſtenderũt. Perinde enim eſt ac ſi dicãt, Eoſdem vtramque Rempub. amicos inimicoſque habituram. Aut ſanè hoc, Si rex contra Venetam Rempub. hoſtilia induerit, tum nos regi noſtras Alpes non ſolùm obſtruemus, ſed ibimus cominus, &, ſi res poſcet, in acie aduerſus eum Venetorum commilitones conſiſtemus. Hanc ſibi mentem fuiſſe, quàm verum

rum

Digitized by Google

rüm ſit, ſequenti articulo diſertim exprimunt, qui eſt ordine viceſimus XXV
quintus, vbi dicitur, Nullum fœdus, (ipſi tractationem vocant) quod huic præceſſerit, hiſce pactionibus interceſſurum; quæ videlicet, his verbis vſque eò muniuntur, vt nullo anteriori iure perfringi poſſint. Quicquid, inquam, antea pactum, & conuentum ſit, nolunt eſſe tantarum virium, vt eorum, quæ nunc aguntur, effectus & executionem impediat. Hæc præualere iubent. Qua re num quicquam improbiùs, aut impudentius dici poteſt? Leges æquum cenſent, eum, qui tempore prior eſt, eſſe potiorem iure. Simili ratione qui politica tractant, tradunt, Quod priùs pactum, & conuentum ſit, totam rem trahere. At iſti noui iuris conditores contra ſtatuũt. Poſterioribus priora eiuſdem generis deſtruunt. Illorum, quàm horum conditionem deteriorem eſſe iubent. Atque adeò quò iuri & naturali, & ſcri-

pto iniurioſiùs illudant, ſequenti & vltimo capite, quod eſt ſextum, & vice-
XXVI ſimum, generali exceptione comprehendunt fœdera ſuperiora, quorum ſingularem mentionem conſultò vitauerunt. Quæ, inquam, anteriorum fœderum iuribus conuellendis improbè ſtatuunt, quò firma, validaque ſint, anxiè, atq; adeò verbis non è vernacula allocutione, ſed è media latinitate deſumptis, vt ſignificantioribus, exprimunt. At ea, quæ priſtinis fœderibus aduerſus recentia pacta firmandis nominatim ſignari, & excipi oportuit, ea ne leui quidem mentione digna ducunt. Cæterùm ſi eſt, vt huic generali exceptioni locum eſſe velint, quid præcedenti capite opus fuit, cùm ſe hæc inuicem deſtruant? Quid ita ibi dicunt quod hîc dictum nolunt? Ibi recens fœdus aduerſus omnia vetuſta præualere volunt. Hîc vetera omnia recentioribus potiora ducunt. Quod penultimo capite diſertim aiunt, id ip-

ſum poſtremo diſertim negant. Non ſemper nequitia eſt ingenioſa. Sæpe hebet, ſæpe ipſa ſe & neſciens, & nolens prodit. Quæ alia huius fœderis conditoribus mens fuit, quàm perfida, & alienæ ſimplicitati inſidiatrix? Si proximo ſuperiori capiti locus eſt, regi, ſcilicet, ſuum fœdus planiſſimè periit. Si huic vltimo, Venetis improbiſſimè illuditur. Quippe hac generali exceptione quicquid ipſis promiſſum eſt, euertitur. Cuperem audire quomodo ſe extricent.

Cùm Rhæti Barbadigum Tiguri diutiùs commorari viderent, nec ſciri poſſet, an is Curiam quamprimùm rediturus eſſet, necne, nam ea de re rumor incertus erat, de eo Communitates per literas à Triumuiris conſultæ ſtatuerunt, vt ſi is Curiam remearet, ei Triumuiri ſignificarent, ipſi in Rhætia diutiùs agere non liciturum, & ibi vllas res nouas moliri. Quippe Rhæticam gentem conſtanter ea tueri

quæ ab ſe ſuper Veneto fœdere decreta ſunt. Deque ea re literas per hominem certum ad Venetum ſenatum datum iri.

Cùm per eos dies & quotidianis nuntiis, & multorum literis percrebuiſſet, non deeſſe qui Rhætię ſtatum tũc quidem quietum iiſdem illis artibus ſollicitare auderent, quibus ante vndecim annos eam gentem afflixiſſent, de eo periculo pittagum meo more admonendum putaui, vt ij patres ad curam publicæ ſalutis capeſſendam expergefierent. Nam ſi res nouentur, indeque pericula iis ſimilia, quę ante eum diem exhauſta ſint, ex integro renaſcantur; ſi denique nouo aliquo vulnere obductæ cicatrices rumpantur, vtique ipſis reputandum fore, regem eſſe extra omnem noxiam. Non ergo æquum, ac ne vllum quidem operæ pretium facturos ipſos, ſi aduerſus ea, quæ ſibi ipſi contraxerint, eius opem implorent, cui bene monenti non obtem-

perauerint. De hoc me poſtremùm eos admonitum veniſſe dixi, & quod afferrem ſcripto comprehendiſſe; ſcilicet, vt eius exempla mitti ad communitates poſſint. Hos monitus tunc quidem tempeſtiuos, certè ſalutares ſi in animum demiſiſſent, ſi vetuſtis ac certis amicis, ſi fidei toties exploratæ fides habita eſſet, enimuero execrabilis illa tyrannis, quæ ibi ante biennium in bonorum capita, famam, fortunaſque atrociſſimè ſæuiit, nunquam caput exertare auſa eſſet, nec ibi illud intriuiſſet quod nunc ſibi vniuerſi exedendum intelligunt.

Paulò poſt, decennali propemodum tempore in laborioſa illa, & ſpinoſa ſtatione veriùs quàm legatione circumacto, regis permiſſu in Galliam redij. Et Rhætos, quos, cùm illò adueni, in tricas nouorum fœderum coniectos, & ea gratia inter ſe, & cum potentiſſimis vicinitatibus tu-

multuoſiùs, & periculoſiùs agentes offenderam, diſcedens priſtinæ quieti redditos reliqui.

FINIS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio edicitur, Ne quis, quacunque patet regnum Galliæ CAROLI PASCHALII regis in ſacro conſiſtorio conſiliarij vllum opus ſine ipſius PASCHALII permiſſu edat, aut alibi editum venumdet. Qui ſecus faxit, huic multa dicta eſt ea, quę regio diplomate continetur dato Pariſiis Kal. Iunij anno MDCXX.

Digitized by Google

Errata ne te pigeat emendare ad hunc modum.

A pagina 33. vſque ad paginam 41. & 43. omnes numeros emenda. Nam falſi ſunt.
pag. 33. linea 12. lege præfecto legati
pag. 44.l.16.l. deliberatio
pag. 49.l.17.l. impenſis precibus
pag. 55.l.13.l. Galliam
Eâdem pag.b.l.6.l. regis
Eâdem pag. l.14.l. vniuerſis
pag. 59.b.l.19.l. conſuerant
pag.95.b.l. 23.l. fæcem
pag. 102.l.3.l. poſtulatur vt
pag. 105.b.l.14. l. Beli
pag. 111.l.1.l. morbo
Eâdem pag. b.l.2.l. peſtem
pag. 122.l.17.l.aula degit
pag. 129.l.11.l. mitigatæ
Eâdem pag.b.l.15.l. reſtingui
pag. 162.l.9.l. ad id
pag.164.l.6.l. adrepſiſſet
pag.166.b.l.13.l.mihi hæc
pag. 168.b.l.24. dele hæc, nullam vllius principis
pag. 169.l.1.dele hæc, principis negotium ſuſcepturum
pap. 173.b. l.24.l. At tribus
pag. 179.l.24.l. ipſe
pag. 184.b.l.18. l. nona
pag. 192. b. l. 12. l. excerpta
pag. 210 .l.14.l. reſponſum ſuppreſſ.
pag. 214. l. 23. l. communibus
pag. 232. b. l. 6. l. Rhæticæ
pag. 238. b. l. 19. l. Num vnam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Google